ANIMADVERSIONES

IN

P. TERENTII AFRI

COMOEDIAS

EDIDIT

F. C. G. PERLET.

EDITIONIS TERENTII ANNO 1820 VULGATAE SUPPLEMENTUM.

LIPSIAE
SUMTIBUS LIBRARIAE HAHNIANAE
MDCCCXXVII.

PRAEFATIO.

Nuper edidi P. Terentii comoedias. Nunc sequuntur animadversiones adjectae. Post editum illum coeperam per singulos deinceps annos, praeter meas interjectas observationes, maxime locos Terentianos, ubicunque eos in scriptis et Romanorum et Graecorum invenissem, notatos conquirere, conquisitos congerere et ordinare. Tales vero conquirenti mihi proveniebant ex scriptoribus, qui Terentium partim citarent, partim qui ipsi et re et verbo simillimi essent. Ita fiebat, ut inter manus adnotationes in dies crescerent, eaeque comico nostro explicando illustrandoque ita accommodatae, ut cunctae fere mihi quidem dignae viderentur, quae prodirent in publicum. Hahnio offerebam, viro honestissimo, qui accipiebat eas non invitus edendas. Quibus porro quae fata immineant, mox apparebit. Ipsae autem editae sunt hoc consilio, ut aut priori editioni Terentii meae adjiciendae putarentur, in supplementum interpretationis, aut separatim ab illa, si quis cuperet, publice venirent. Continent enim, quae illa non habet, nec repetunt aut recoquunt denuo, quae ibi inveniuntur.

Insunt non pauci, ut praediximus, loci aliorum, qui ex omni temporum aetate allegarunt Terentium. Nec vero satis aut circumspici aut numerari possunt sparsi passim loci singuli in scriptis tam multorum, qui Nostrum memorant citantve. Nec id mirum est, si consideraveris, quanta fuerit inter veteres ejus auctoritas. Ac profecto nos Scaligero assentimus, qui judicavit, ut in Attico Aristophanem, ita Terentium in Latino sermone esse acutissimum politissimumque.

Dabam inter alia grammaticas notationes, quibus tironibus praesertim consultum putarem, easque, quantum fieri poterat, ex auctoribus serioris aevi, ipsoque Quinctiliano, et Donato, Festo, Prisciano aliisque desumtas. Totus poeta erat mihi pertractandus. Atqui versatur omnino, secundum Ciceron. Orat. I, 42. poetarum pertractatio in solis fere grammaticis. Nec id praetereundum est, grammatica quae sint et dicantur, olim multo latius patere, quam hodie. Exinde patefit, cur ego quidem tam frequentes quae nostris diebus in lucem proferuntur, eas minus adhibui grammaticae institutiones. Ad quas igitur parce tantum remisi lectorem, quia putabam, qui Terentium intelligerent, eos initia rudimentaque grammatices superavisse. Tamen id impetratum est a me, ut quosdam, sicubi daretur, memoratos adferrem, Zumptium praesertim Ramshorniumque, quos seculum in grammaticorum numero maxime haberet. Praeterea fateor, me editiones Poetae, aut commentarios recentiorum minus curasse, quippe qui, ut

equidem opinor, non multum facerent ad operas meas Terentio impensas. Quo si quis offendatur, ei dicam breviter. Primo metuebam crescentem multitudinem collectarum adversionum. Deinde notum est, qui nostratium ad explicandum comicum nostrum accesserint, vix attulisse, quod veteres non idem attulerint prius. Ut taceam, illos quae hodie fecerint in commodum Poetae, ex antiquis scriptoribus hausisse. Ergo satius equidem esse putavi, fontes ipsos adire, qui qui, et ubicunque paterent, quam rivulos, inde derivatos. Tum ego opus, qualecunque est, conficere hoc cogitaram, quo Terentius, ubi ubi offenderetur, conquisitus appareret, et, quod magis juvaret, emendatus explicatusque. Quem vero ego opera mea, non aliena, conquisivi et inveni, et quidem in multo pluribus scriptis aliorum, quam ante speraveram. Nec tamen ausim gloriari, me ubique illum habere inventum. Quis est autem doctorum hominum, qui non plus minusve gaudeat, Terentium se inter tam multos omnium temporum scriptores, partim imitandi, partim explanandi causa memoratum offendisse. Denique ut hoc dicam. Proderit etiam ac juvabit, ita graecae, ut romanae gentis eos scivisse scriptores, non modo, quos ipse Terentius imitatus, verum etiam, qui ipsum fuerint imitati. Proinde veterum videbimus alios, qui ante, alios, qui post Terentii aetatem in re fere eadem ac dicendi forma cum eo interdum consentiant. Nam nemo infitiabitur, plures latinos auctores plane nullos esse, nisi antea fuissent aut graeci

aut latini in eodem genere dicendi. Et profecto Terentius ipse nullus esset absque Menandro, Philemone, Diphilo aliisque Graecorum dramaticis poetis. Atque vix, si ipsi latini, Naevius, Caecilius, Plautus non praeivissent, ulla Nostri comoedia, nedum memoria ad nos pervenisset. Quid ergo mirum, tam multa e fontibus antiquis hauriri posse ac debere, quae quidem inde ad cognoscendum Afrum certius commodiusque sumamus, quam ab recentioribus.

At quis dixerit, singula quae excerpsimus, adeo abrupta esse, ut contextui rerum ac verborum Terentii intelligendo saepe parum sufficiant. Non tamen aliena sunt illa, quae alii scriptores ex Terentii comoediis in commodum suum adnotarunt. Nam primo haec pro re sua sibi desumebant commodissima, non aliena. Deinde id dicamus, locutiones vel formas dicendi, si quae fuerint non dissimiles inventae, omnimodo posse lucem afferre Terentio non exiguam. Quamquam fieri potest, ut, quae excerpta singula sint, quod rem et consilium attinet auctoris, praeter similitudinem verborum, minus aeque conveniant. Tamen ne ea quidem supervacua adferuntur, si qua copia desiderabitur, ab omni parte Poetam illustrandi. Nam quis est, qui ignoret, vim verborum tantam esse eorundem, ut, quem sensum communem habeant, inde erui facile possit?

Ne praeteream editiones et commentarios comici nostri recentiorum, neu sinam eosdem non

memoratos. In manibus omnium sunt, qui studio non vulgari colunt Poetam. Multo minus contra notescunt veterum subsidia, quae insuper non quilibet potest sibi comparare. Ideo non ita vana mihi quidem videbatur nova qualiscunque opera mea, Terentio nostro adhibita. Namque is est comicus poeta, qui, cum primas expertus curas esset, etiam mereretur secundas. Ecce vero, quae causae fuerunt, cur veterum seu antiquiorum certe interpretationes praeferrem recentioribus; quamvis velim et hae consulantur, quando opus erit.

Tantum de interpretatione. Restat ut verbum addamus de metro Terentii. Qui periti ejus esse profitebantur nostri ac praeteriti temporis, nobis non ab omni parte satisfecerunt. Ut ab Erasmo ordiamur, cui multum in versu Terentiano debemus; nisi forte nimiam ejus curam deprehendimus. Nec minus Faërnus, Bentlejus, suo quisque modo metrum integrum restituisse se putarunt, quorum posterior etiam largissimo suo usus est ingenio. Atqui prout illi principes eruditorum metrum invenisse sibi videbantur, ita verba Terentii ipsa conati sunt emendare. Ac praeterea illi viri, quod dolendum est, differunt haud raro in eadem re. Res cum ita est, facile poterit quilibet judicare, quam parum certi sic inveniatur, modo in dimetienda, modo in perspicienda Comici oratione. Quando autem metrum Terentii inde a Cicerone, Quinctiliano Priscianoque deinceps perspectum videmus, non minus idem vagum vel incertum vel dubium ab illis viris putatur esse ac dicitur. Et nequaquam

pro certo erit habendum, qui sermo est apud comicum poetam, eum, consuetudini vitae proximum, tam arctis vinculorum legibus posse circumscribi. Datur quidem metrum Terentii, sed liberius. Quod qui ostenderit, ubi est, gaudeat suo invento; qui minus, sinat intactum.

Postremum addo. In editione Terentii mea contextum verborum auctoris perlustravi denuo, ac simul adnotavi, si quae invenerim, errata. Atque ista, quae offendi, hisce chartis animadversionum, quantum spatii relinquerent, ad calcem adjeci sedulo adnotata. Id enim me debere putabam his hominibus, qui emtam sibi illam paravissent. Ceterum qui me legerint oro rogoque, ut, si forte hic illic etiam pluribus erraverim, nihilominus faveant mihi, nec minus operam hancce meam qualemcunque in bonam partem, id est, aequo animo ac judicio sumant atque accipiant.

Scr. Isenaci pridie Cal. Oct. MDCCCXXVI.

ANIMADVERSIONES
IN TERENTIUM.

Initium facimus ab Editionis Terentii nostrae pag. XXIV. §. 3. Quae ibi de vasis aeneis seu aereis dicuntur, quibus vox loquentium in theatris veterum, ob spatii magnitudinem, acrior resonaret; ea confirmata videmus a M. Vitruvio. Is enim de architectura, lib. V. c. 8. ait: „Resonantes vero, (loci scilicet, ubi voces moventur) in quibus, cum in solido tactu percussa resiliat (vox), imagines exprimendo novissimos casus (quos echoicos significat esse Vitruvius) duplices faciunt auditu."

Pag. XXV. de theatro Romanorum. Winckelmannus noster, peritissimus antiquitatum, vidit ipse theatrum Herculani urbis effossum, quod ita descripsit, ut inprimis dignus sit, qui legatur. Ac si quis erit, qui plura cupiat erudiri hac de re, hunc remittimus ad Vitruvium, qui de vasis, de conformatione theatri facienda, deque theatris Graecorum singulatim agit.

Ad pag. XXVI. addi volebam, quod Cicero de personatis dixit histrionibus, qui facie ficta uterentur in actione. Persona enim, πρόσωπον, est larva, qua cava histrio totum caput indutus eum ageret hominem in scena, qui ei erat agendus. Inde is, sicuti Roscius ille, aut simulare aut dissimulare poterat, quodcunque res postularet. Vid. Cic. Or. II, 46. et III, 59.

Pag. XXVII. De amictu histrionum. Praeter milites etiam liberi adolescentes chlamyde, graeca veste, induti possunt putari. Nam Winckelmannus in codice Terentii comoediarum Vaticano vidisse se testatur juvenum picturas illa indutorum. In eodem libro Chaerea Terentianus repraesentatur vestimento gossypii ornatus striato atque floribus picto distinctoque.

Neque hoc omittamus. Inter nummos, quos Morellius edidit signatos expressosve, unus etiam exstat imagine P. Terentii impressa. Caput est comici circumscriptum: TERENTIUS. Juxta conspicitur virga erecta. Ab aversa nummi parte athletam videmus, qui equum est domiturus. Sed quid rei Poetae similis sit cum athleta, vix intelligitur, nisi forte victoria et huius et illius significetur, ex aequo utrisque comparata.

Pag. XXXV. §. 20. Sententia stat grammaticorum, mixtum esse quoddam jambicum sive comicum versuum genus, quod omnibus locis promiscue pedes quinque, jambum, tribrachum, spondeum, dactylum et anapaestum recipere, excepta sede ultima, quam jambus fere solus obtineat. Haec vero summa lex est metri Terentiani. Nec tamen fallamur. Non enim quo non interdum incidat alius pes, praeter nominatos, sed quo saepius obveniat creticus vel choriambus aliive. Quodque minus miremur, quo magis illud metri genus videamus etiam prosaicae orationi propinquum. Terentius namque versum suum non tam artificiose composuit, quam multi opinati sunt. Et quod genus Cicero, Quinctilianus aliique veteres solutius putaverant esse, id non pauci voluerunt nostratium magis vinctum habere correctumque ad amussim. Quo nihil est absurdius. Itaque caveamus ab his hominibus, qui quamvis acutissime audeant Terentii verba, emendandi versus causa, mutare, ne arbitrium alienum magis, quam nostrum sequamur.

A N D R I A.

Pag. 3. *Ludis Megalens.* Prolixius agit de his ludis Cicero in or. de Harusp. c. 12. ubi simul, quanta religio fuerit eorum, demonstrat. Ab eodem discitur, hos ludos statuto tempore celebratos esse, ad Fam. II. 11. ubi notat, *ipsis Megalensibus* scripsisse se hanc ipsam epistolam. Nec praetereundus est Livius, lib. 34, c. 54. in Edit. Drakenborch. Addo Tacitum, qui, An. 3, 6. „Tiberius," inquit, „populum luctui cedere jubet, quia *ludorum Megalensium* spectaculum suberat."

Pag. 4. *Turpio Ambivius*, quis fuerit. Huius recordatur Tacitus, de oratorib. c. 20. ubi dicit: „Vulgus — adsistentium et — vagus auditor — non magis profert in judiciis tristem et impexam antiquitatem, quam si quis in scena Roscii aut *Turpionis Ambivii* exprimere gestus velit." Quis ita non videt, hunc Ambivium sic fere, uti Roscium, inter actores vel histriones suo tempore excelluisse? Priorem tamen Roscio vixisse constat, cum is eandem habuit aetatem cum Cicerone.

Ibid. *Modos fecit. Modos* cantici putamus fuisse, quibus recitanti cuidam vel concionanti mensura vocis ac temporis sustentaretur. Id quidem ita se habere, ex Quinctiliani percipimus Instit. or. lib. V, c. 10. Illic enim legimus: „C. Gracchi — oratoris, cui concionanti consistens post eum Musicus fistula — *modos*, quibus deberet intendi, ministrabat." Quod etiam dilucidum fit ex Liv. 7, 2. unde cognoscimus, et cantari et saltari ad *modos* tibicinis. Atque cantica discernere necesse est ab diverbiis, quae histrionum plurium voci essent relicta, cantica unius. Non aliena vidi ab his, quae modo scripseram, in Rosini scilicet roman. antiquitatt. lib. V. c. 9. „Modi sunt," inquit ille, „quos Aristoteles μελοποιΐαν nominat, hoc est, modulatio, mensura, aut harmonia cantus, cum affectibus comoediae congruens, quae auctori? (actori) indicabat, quam vocem in agendo sequi deberet, humilemne an elatam, iratamne an tristem."

Pag. 5. *Tibiis dextris et sinistris.* Hic erit Ter. Varro consulendus, de R. R. I, 2, 17. Sic enim dicit: „ut *dextra tibia* alia, quam *sinistra*; ita ut tamen sit quodammodo conjuncta, quod est altera ejusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva." Haec Varro. Nonne idem est, quod musici nostrates carminis ejusdem dicunt melodiam et harmoniam? cum succentiva, ni me fallunt verba Varronis, comitetur modos tibiae incentivae. Cic. Or. 1, 42. „in musicis," inquit, — „numeri et *modi.*"

PROLOGUS.

V. 15. *Factum.* Scilicet *transtulisse*, e Graecorum Menandro. At si Cicero, de Fin. lib. 2. ait: „A Graecis philosophiam et omnes ingenuas disciplinas (nos Romani) habemus;" quo jure fieri poterat, ut adversarius ille Terentio nostro turpitudini fore putaret, e Graecis desumsisse? Recte igitur, qui aliter sentiat, pro *malevolo* habebitur, sicut supra v. 6. Illud autem est, quod, praeter Ciceronem, non puduit Horatium, Livium aliosque optimorum scriptorum libere fateri.

V. 18. *Naevium.* Etsi nobis pauca tantum hodieque supersunt de hoc comico, plura tamen Cicero cognovit, quae memorata per hunc nostram aetatem contigerunt. Quod vero idem de aetate *Naevii* constituit, vid. in Brut. 15. sicut de *Plauto*, *Ennio*, ibidem.

V. 20. *Quorum.* Poetarum scilicet, qui nominantur v. 28. Romani. Eorum autem ipsa vitia, ait Prologus, Terentium amare vel *exoptare potius quam istorum* h. e. malevolorum, aut illius, secundum v. 6. 7. virtutes. Terentius studiose se sequi majores illos Romanos non negat. Et Ciceronem audiamus, qui amantissimus quidem patrii sermonis adeo progreditur, ut Latina, qualiacunque sint, praeferre ipsis Graecis videatur; de Fin. bon. 1. 2.

V. 22. *moneo.* Comminantis est in futurum.

desinant. In plurali, quasi plures maledixerint. In singulari enim numero, cf. supra v. 6. 7. unus tantum *malevolus poeta* significatur. Sed sine dubio non unus erat, qui adversaretur ac invideret famae Terentii.

V. 24. *Favete.* Qua voce Prologus valde precatur pro Poeta. Nam formulam, *favere* linguis, votis, recordamur, esse in sacris solemnem; vid. Brisson. I, 15.

reliquum, pro relictum seu reliqua, relicta spes. Hunc

locum et Eun. II, 2, 9. Drakenb. revocat ad Liv. IV, 27. „*relicta* spe," ubi discutitur, an, si vox *relicta* displiceat, *reliqua* potius accipiatur Livii, nec ne.

V. 30. *canes ad venandum*, i. q. canes venatici. De hac loquendi forma Turnebus alia exempla, quotquot invenerit, e bonis scriptoribus congessit, quae ibi videantur.

ACTUS I. SCENA I.

Simo. Persona dramatis. Nomen a specie dictum, quod simi sint fere iracundi. His ac pluribus, quae ad hunc loc. jam pridem notata sunt, addimus Aristotelem, qui praecepit haec: Ὁμοίως γὰρ ἐν τούτῳ τά τε πράγματα κ. τὰ ὀνόματα πεποίηται; vid. Poet. IX, 7.

Sosia. De *Sosia* quidem, ut quo coquinariae artis perito, Alciphron, ep. 18. explicat latius, quae ipse a Terentio prius abstraxerit ita: „Οὗτος ἐκεῖνος Σωσίας ὁ τ. χρηστὸν καὶ ἡδὺν γάρον ἑψῶν ἐκ τ. λεπτοτέρων ἰχθύων, οὓς ἐγκολπίζεται τῇ σαγήνῃ. Idem ille est *Sosias*, qui bonum illud et suave liquamentum coquit ex minutis pisciculis, quos verriculo insinuat." Apud Plautum, Most. I, 1. servus e culina evocatur.

V. 2. *dictum puta.* Quid sit *puta*, nostratium alii aliter statuunt, Equidem in hoc acquiesco, quod in Fabri Thesauro est: „*puta*, adverbialiter, pro scilicet, vel verbi gratia." Nihil aliud hoc loco significatur. Sosia namque ostendit, nil nisi hoc dici a Simone, quod ipse opinetur: *Nempe ut* etc.

V. 4. *ars.* *Ars* enim coquendi conspiciebatur illo tempore, quo ipse vivebat Terentius, ubi scilicet luxuria ab exercitibus ex Asia Romam redeuntibus, Livio teste, est invecta. Tum coquum, refert ille, inter alia, quae instrumenta luxuriae essent, vilissimum antiquis mancipium, et aestimatione et usu in pretio fuisse, Et quod ministerium fuerat, ars putari coepta est.

V. 5. *Nihil ist. op. est arte.* Contra Plinius epp. 5, 19. libertum suum laudat, *arte* comoedi pollentem. *Nihil* gr. pro οὐκ οὐδέν.

V. 7. *taciturn.* Graviter urget, dum dicit, *taciturnitate.* Nam Juvenalis ait, Sat. 3. „Lingua mali pars pessima servi." *Fide et taciturnitate.* Quae virtutes raro reperiebantur in servis.

V. 11. *liberalit.* Ita, ut cum Cicerone loquamur, „homine ingenuo, *liberaliter* educto, dignum."

servieb. liberalit. Cum laude maxima servi, ut liberi hominis ingenuique, dixit: *liberaliter.*

V. 13. *haud muto*, cf. Cic. Phil. 1, 7. „sed ea *non muto*, non moveo." Quod ad hunc loc. primo nobis expositum est, iterum dicamus, jure Attico licuisse, servum ingratum in servitutem retrahere. Id etiam fieri poterat ex jure Romanorum; cf. Heinecc. Syntagm. I, 2, 5.

Bentlejus ex auctoritate Palmerii conjunxit: *factum gaudeo*, id quod diceret Sosia.

V. 15. *advorsum.* vel script. *adversum*, Prisciano interprete, pro coram. Senec. de Consolat. 26. „*adversus* felicitatem — parum *gratus* es." Vid. Schopen. de Terent. et Donato etc. dissertat. crit. Bon. 1821. qui plura de hac voce, quam opus videretur, disseruit.

V. 16. *commemoratio.* Uti *commemoratio* beneficiorum, ita officiorum supervacua esse putatur. Cic. ad Fam. III, 5. Ceterum videndus est in hac re Seneca, de Benefic. II, 6. VII, 22. Virg. Aen. IV, 539.

V. 22. 23. Praeparat Simo ad ea, quae singula deinceps explicabit.

V. 27. *magist. prohibeb.* Ubi pueri ex ephebis excessissent, removebantur *magistri.* Xenoph. de Rep. Laced. II, 1. Et Quinctil. Declam. III, 9. „Ita impositus cohibet *magister.*"

V. 29. *studium*, quid sit, vide, Cic. Rhet. 1, 25, definitum.

V. 30. *Alere* pro Alendi, infinitiv. modus pro gerundio. Itid. Liv. 3, 4. „negotium daretur, videre," pro videndi. Plura de hac re disputat Drakenborch. Sed ut cum pace grammaticorum dicamus, infinitivum recte poni, cum plura sequuntur ab ipso dependentia. Aliud enim est dicere, *studium alere equos;* aliud, studium alendi, absolute. Exemplo est prioris, Virg. A. VI, 654. — „quae cura nitentes pascere equos." Ceterum *alere equos* graece est, τρέφειν ἵππους, Xenoph. Cyrop. I, 3. Tantum de ratione loquendi. Res ipsa est Aristophan. Nub. v. 15. ubi pater queritur de sumtibus filii, ἱππάζεταί τε, inquiens, — ὀνειροπολεῖ θ' ἵππους· ἐγὼ δ' ἀπόλλυμαι, h. e. equitat — et equos somniat; at ego pereo.

ad philosophos etc. Hunc fere in modum Cicero de Offic. I, 32. „Itaque se alii *ad philosophiam*, alii ad jus etc. applicant."

V. 34. *ne quid nimis.* Plato in Protag. §. 82. hoc dictum, quod graece est μηδὲν ἄγαν, uni septem sapientum attribuit, in templo Apollinis depositum. Id enim ait more

veterum philosophorum fuisse, ut uno hoc dicto tota auctoris philosophia comprehenderetur, quae dicta fuisset *βραχυλογία τις λακωνική*. Postea huiusmodi dicta abierunt in proverbia, quibus utebantur comici poetae aliorumque quilibet hominum in vita communi.

V. 35. *Sic vita.* Grat. Falisc. v. 4. „*Sic vita*que erat." Quod Johnson exposuit: in omni vitae constitutione, respiciens ad illud Terentianum.

V. 36. *Cum quibus erat cunque.* Sic per tmesin, quam vocant, pro, *quibuscunque.* Hoc modo temnitur in Aeschyl. Pers. v. 913. verb. *κατακαλύψαι*, ubi est, „*Θανάτου κατὰ μοῖρα καλύψαι.*"

V. 41. *veritas odium parit.* Contra Cicero: „*Veritas,*" inquit, „etiamsi jucunda non est, mihi tamen grata est." Sed alio, nescio quo, loco cujusdam ingeniosi commentum inveni hoc: „Aude modo, et vel falsissima effutieris; modeste contra dic, jamjam te inconsultae temeritatis poenitebit." Non primus illud Terentius dixisse videtur. Nam Ausonius Biantem facit versiculum hunc eloqui: „Dixisse nollem: *veritas odium parit.*" Etsi non tam sancte Ausonio credimus, tamen fit verisimile, id proverbium esse Terentio antiquius.

V. 43. *Ex Andro.* Vid. Bochart. Geogr. sacr. II, 1, 14. Quod is nomen insulae *Andros* phoeniceae linguae esse, more suo subtiliter disputat, etsi satis graece sonet, nunc praetermittimus.

V. 49. *pretium pollicens.* Hic audiendus est Aristaenetus in epist. 14. lib. 1. de meretrice, ad juvenes ita dicente: „*ὑμεῖς μὲν ὀρέγεσθε κάλλους· ἐγὼ δὲ χρημάτων ἐρῶ.*" Vertit Macerus: „Vos formam desideratis, ego pecuniam."

V. 50. *Unus et item alter.* Simili modo Horat. Carm. secul. v. 10. Perizonius ad nostrum loc. in Observatt. p. 291. „Manifeste," inquit, „hic *alter* eum notat, qui *unum* illum proxime esset secuturus." Itaque non probantur, qui tres significari, non duo existiment. Etsi non negatur, non certum numerum, sed paucorum tantum supponi. Ut in supplementum addam interpretationis, Cic. ad Q. fr. lib. 1. ep. 1. — „ut ille *alter* annus etiam tertium posset adducere." Terentii vox intermedia, *item*, tertium quem quoque posset denotare. Haec quidem sententia fuit quorundam. Quare videmus, quam saepe philologi qui dicuntur, minus in argumento rei, quam in dicendi forma constituenda auctoris sudent ac exerceantur.

V. 52. *quaest. occipit.* Plaut. Poen. V, 3, 21. „Facerentque indignum genere *quaestum* corpore." Adferenda

est lex, qua Romae, ad libidinem feminarum coercendam, cautum erat, ne *quaestum* faceret corpore, cui avus, aut pater, aut maritus Eques Romanus fuisset. Tacit. An. II, 85.

V. 58. *Dic sodes.* Verbum scenicum; vid. Plaut. Bacch. IV, 7, 39. *sodes*, uti constat, pro, si audes.

V. 61. *symbolam.* Notam appellat Cicero, quod Aristoteles σύμβολον. *Symbolam*, genere feminino, Terentium scripsisse, non neutro, affirmat Stephanus in libello, qui inscribitur, de abusu linguae graecae, exemplis ex Athenaeo ac Plauto ad id probandum allatis. Etiam Westerhovius *symbolam* praecipit legendum, pro *symbolum.* His addimus Büchling. ad Xenoph. Mem. Socr. III, 14. Notandum est contra, ἀσύμβολον Graecis appellari, qui, ut parasitus, particeps esse cupiat conviviorum, nullo impendio suo, nullo homine vocante. Rem ipsam Cicero declarat, de or. II, 57. cum scribitur ita: „Ego vero — quoniam collectam a conviva — exigis.“ Possent et censeri symbolae in coenam aut prandium collatae; uti Ausonius loquitur: „Aut parasitorum collectas Plautinorum “

V. 64. *enimvero.* Quae vox in initio orationis, ad rem gravissimam adfirmandam, ponitur eleganter. Drakenb. ad Liv. 1, 51.

V. 69. *uno ore*, gr. μιᾷ φωνῇ apud Platon. Sic et latine, uno spiritu ac pari voce.

V. 72. *Chremes.* Sic recte, ut monet Priscianus, cum aspiratione, non *Cremes*, quae scriptura vocis perderet vim significationis. Dein de declinatione notetur, variare genitivum, *Chrem-is*, et -*etis*, a graeco Χρέμης, ου et ητος.

V. 75. *Placuit.* Nihil est, quod grammatici dicunt, impersonale *placuit* esse, pro, ut visum est. Nam ἐλλειπτικῶς subauditur pactum vel conditio vel res. Itid. Adelph. IV, 7, 19. Hec. II, 1, 44. Multo significantius loquitur Plautus, Poen. V., 3, 37. 38. A. Tuam — filiam despondeas. P. Pactam rem habeto. A. Spondesne igitur? P. Spondeo.“

despondi. Despondere dicitur pater virginis. Quo ex usu Tacit. Agric. 9. „Consul egregiae tum spei filiam juveni mihi *despondit.*“

nupt. dict. est dies. Sic fere it. Plin. Epp. V, 16. „jam electus *nuptiarum dies*, jam nos vocati.“

V. 79. *ei.* Sic Priscianus pro casu dativo; al. pro *hei*, partic. laetandi; al. omittunt.

V. 81. *Curab. una fun.* „Domi *curatum funus* per plures dies: ibi fiebat ἡ πρόθεσις, et mortuus septem dies in

vestibulo positus, qua a domesticis plangebatur, ac coronis aliisque muneribus honorificis afficiebatur." Ita Casaubonus ad Sueton. Jul. Caes. 84.

V. 90. *Effertur* etc. Observat Schaefer in Dionys. H. Compos. verb. p. 459., Terentium sequi in narratione ordinem rerum; cuius documento afferuntur hi versus.

V. 92. Conjunxi *bona fortasse*, Sosiae dicendum, quasi is per *fortasse* divinaret, senem *bona* dicere voluisse.

V. 93. *ut nil supra.* Formula solemnis, de summo alicujus rei fastigio. Cic. Fam. IV, 1. „Pisonis — amor in omnes nos tantus est, *ut nihil supra* possit." Etiam plenius, Cornel. Nep. in Attic. 4. „sic, *ut supra nihil* posset addi."

V. 96. *liberali.* Sic Cic. p. Coel. 3. „quorum in adolescentia *forma* et species fuit *liberalis.*"

pedissequas. Veteres duplicare literas consonantes non consuevisse, non unus est testis. Festus affirmat, voces, ut torridus, aliasve id genus, per unum quidem r antiqua consuetudine scribi, sed, juxta ac si per duo r scribantur, pronuntiari oportere. „Nam antiqui," pergit, „nec mutas, nec semivocales geminabant, ut fit in Ennio, Arrio, Annio." Itaque antiquo more *pedisequas* scribendum esset, per unum s, pro recentiori, *pedisseq.* per duo. Ut vero Festo assentiamur, efficit tabula aenea, de Bacchanalibus Romae coercendis, inscripta, ubi inter alia legitur incisum, *esent* pro *essent.* Huius autem tabulae exemplum, chartae impressum, exstat in Drakenb. Edit. Liv. tom. VII. p. 197. In his, quae modo attulimus, praeter Isidorum, Popma consentit, de Usu antiqu. locut. I, 5.

V. 97. *Chrysidis.* Ejusdem nominis alia est persona, Pers. Sat. V, 558 etc. „dum *Chrysidis* udas Ebrius ante fores exstincta cum face canto."

V. 99. *Hinc illae lacrimae.* Similiter Virg. Aen. IV, 675. Anna soror ad Didonem: „Hoc *illud*, germana, fuit? me fraude petebas?" Ita ajunt homines, si fraude detecta, errorem relinquunt.

lacrimae. Vere *conlacrumabat* Pamphilus, supra v. 82. Ergo *lacrimae* etiam sumendum propria significatione.

V. 100. *quors. evadas.* Redeo ad vulgatam lect. *evadat.* Nam et Priscianus, lib. 18. legit ita, idemque totam sententiam: *quam timeo, quorsum evadat*, exposuit graece: ὡς δέδοικα, ποῖ ἄρα ἀποβαίη.

V. 101. *ad sepulcrum.* Cremabantur mortui solito extra urbem; vid. Casaubon. ad Sueton. Jul. Caes. 84. Et Lucan. IX, 54. „Ostendit rogum flamma." Sunt qui dicant,

Romanos prioribus reip. temporibus mortuos suos humavisse, postea vero, et quidem inde a Sulla defuncto cremare solitos. Timuisse enim, ne corpus Sullae clam ablatum violaretur dehonestareturque.

V. 102. *In ignem impos. est.* Cic. Tusc. I, 35. „Metellum multi filii in rogum *imposuerunt.*" Idem ibidem V, 78. „Quae est victrix, una cum viro (mortuo) in rogum *imponitur.*"

In ignem. Expressius dixisset, in rogum exstructum. Nam „ritus combustionis erat, ut rogus exstrueretur, cui defuncti corpus in lecto imponebant, cum aromatum odoribus aliisque pretiosis, quae defuncto cara fuerant." Cellarius.

Fletur. In usu erat, *flere* funera; cf. Ovid. in Ibin 16. Tibull. III, 2, 12. „Et *fleat* ante meum moesta Neaera rogum." Ut autem actio cremandi paene tota ex ipsis discatur auctoribus, Lucanum addimus, ejusque Pharsal. VI, 826. „Accensa juvenem positum strue" etc.

V. 103. *ad flam. access.* Ut viva hic, sic apud Lucan. VI, 825. „venit vita defunctus ad ignes." Est autem, venit, i. q. deportatur.

V. 107. *Mea Glycerium.* Diverso genere, mirum. Quinctilian. Instit. I, 7. „aut quae" (nomina), ait, „feminina positione, mares, aut neutrali, feminas significant, qualia sunt, murena et *Glycerium.*" Atque H. Stephanus docet, differre genera declinationum, *mea Glycerium*, sed Glycerion ex Glycera esse femininum. Sic enim ὑποϱιστικῶς derivata esse grammaticis dicuntur, ut Parmenion ex Parmeno, Hephaestion ex Hephaestus. Eodemque modo feminina, Glycerion ex Glycera, Leontion ex Leaena etc. vid. Stephan. de abusu lingu. graecae. Ipsum nomen *Glycerium* etiam obvenit in Luciani Dialog. meretric. usurpatum. Ut nomen hoc altius repetamus. *Glycere* quaedam fuit Menandri poetae amica. Forsitan est sub huius nomine ab illo in comoediis introducta Thais.

V. 109. *Rejecit se in eum flens.* Amatorie. Lucret. I, 35. „in gremium qui (Mavors) saepe tuum (Veneris) *se Rejecit.*" Sic femina in virum, uti vir in feminam *rejicere* se dicuntur.

V. 114. *honesta oratio est.* Haec Terentii verba Cicero habet in eandem fere sententiam adhibita, de Offic. II, 20. ubi vid. J. M. Heusinger. „Verba quidem huiusmodi hominum probanda sunt, sed ipsi ea factis refutant."

V. 117. *Venit Chremes* etc. Similis introitus Demeae, in Adelph. I, 1, 35.

V. 119. *peregrinam.* Observandum est, *peregrinum* hominem notari veteribus, ut hostem. Cic. de Offic. I, 12.

Praeterea huius ac sequentium deinceps vocum syllabas, *grinam ego il*, Priscianus contendit antiquitus esse in dactylum redactas. Priscian. de metris comicorum.

V. 120. *instat factum.* Hoc est, perstat, urget dicendo itērandoque, factum esse. Liv. 31, 11. „*instat* capi stationes.“

V. 121. *ut qui.* Turnebi explicationem, quodam modo, non probamus. Nam *ut* cum *qui* relativo junctum proxime continuat nomen, quod antecessit.

V. 124. *His rebus.* Puta, amoribus.

finem praescrips. h. e. propter nuptias constituendas. Aus. Popma legisse *praescripsti* est credendus, quia notat his verbis: „*praescripsti*, more Terentiano contractum.“

V. 137. *Mala mens, malus animus.* Catull. LXV, 4. „*Mens animi*,“ conjunctim. Sed harum vocum una ab altera distinguitur a Cicerone, de rep. II, 40. ubi dicit: „quaeque pars *animi mens* vocatur.“

V. 140. *exorandus.* Al. leg. *expurgandus.* Atque Donatus animadvertit, nonnullos, *qui mihi expurgandus est*, legisse. Unde Popma suspicatur, in causa esse hanc lectionem, cur Servius grammaticus τὸ *qui* sumserit pro cui vel quoi. Quod Servium ita cepisse, vix credimus.

V. 142. *observ. fil.* cf. Plaut. Asin. II, 2, 7. ed. Taubm. qui exposuit: *Observari* dicuntur, qui agere aut conari nihil possunt sine custodibus.

V. 144. *eamus jam nunc intro.* Formula scenica. Item Plaut. Mil. glorios. IV, 8. „*ibo* hinc intro *nunc jam.*“

ACTUS I. SCENA II.

V. 4. 5. *et heri semper lenitas Verebar.* Mirum est, cur verba *semper lenitas* vulgo conjungantur in uno, quasi Poetae Graecorum more unice dicendum fuisset, non magis latino. In Ciceron. Catilin. or. II, 3. est, „*lenitas* perpetua.“ Atqui Terentius, *semper lenitas*, minus latine, ni dicam, barbare dixisset? Qui si vero dictiones, *semper Verebar*, continuasset, certo scio, neminem fore, qui somniaret, *semper lenitas* conjungendum. Merito igitur Guyeto assentimur, qui adverbium *semper* ad verbum *Verebar*, ex notissima Latinorum consuetudine, voluerit referri.

V. 7. *verb. fec.* Magnifice de domino, aut per ironiam loqui videtur. Nam *verba facere* in senatu consules dicuntur, aut oratores pro concione. Dictio haec solemnis pluribus vid. in Ernest. cl. Cic.

V. 9. 10. *nec opinantes — opprimi.* Itid. Corn. Datam. 4, 3. „existimans — facilius se imprudentem — quam paratum — *oppressurum.*" Idem vero est imprudens, qui *non opinans.*

V. 11. *Ne* ex cod. Halensi; in plurib. codd. *Ut ne*, Terentio familiare.

V. 14. *id pop. curat.* Non inepte *populus* sumitur ita, ut opponatur sapienti. Non aliter Senecae epist. 53. Consentit in hac vocis significatione Horat. Sat. I, 1, 65. 66. Add. Casaubon. ad Pers. Sat. I, 30. *populus* et *δῆμος* de numerosiore coetu dicuntur.

V. 15. *Hoccine agis?* Est formula, *hoc age.* Itid. Plutarch. in Numa, cap. 14. *ὂκ ἄγε*, vox latina, graece *τοῦτο πρᾶσσε*, qua quis jubetur attendere animum in rem, quae agitur in praesentia. Puta contrarium esse Enn. II, 3, 57. *alias res agis*, quod est, levis animi videris, vel distracti in diversas partes.

V. 15. 16. *sed nunc ea.* Amores filii significantur. *Iniqui patris est.* Seculi enim erat, indulgere juvenum amoribus.

V. 17. *temp. tulit.* Verb. *tulit* absque casu, sive absolute positum. Sic et Cic. Epp. ad Fam. I, 8. „quid *tempus ferat.*" Id. or. in Verr. II, 3, 54. „ut *temporis* difficultas — aratorumq. penuria *tulit.*" Itid. Corn. Nep. aliique. Quare nescio, cur in hoc laborent interpretes.

sivi. Grammatici Popma et Diomedes tuentur *sini.* Ille redit ad exemplum Terentii; ergo *sini* verius legendum putavit. Adelph. I, 2, 24.

V. 21. *magistrum.* Sensu malo. Sic enim Cic. Fam. 3, 22. Sulla satis acerbe dicitur *magister* vitiorum, luxuriae, avaritiae, crudelitatis.

V. 23. *Davus sum, non Oedipus.* Quid et quomodo hic dixerit servus, facile patet. Contra dictum vulgo auditur: *Οἰδίπους τοι νῦν ποτ' ἦν, αἰνίγματα νοεῖ.*

V. 33. *Bona verba.* Formula solemnis veterum, non uno loco scriptorum probanda. Aeschyl. Agamemn. v. 644. ed. Schütz. *Bona verba* dicere, lingua favere, idem fere est, quod Graecis *εὐφημεῖν.* Plat. in Gorg. *Σ.* „*Εὐφήμει, ὦ Πῶλε. Π. τί δή;* S. bona verba, o Pole. P. quid ita tandem?" Et Lucian. Herm. ed. Mitav. 1777. p. 135. „*Εὐφήμει, ὦ ἑταῖρε*, bona verba, amice." Sic h. l. Davus, sed cum acerbitate ironica. Qua quidem vi verb. *εὐφήμει* sumendum, ita fere *εὐστόμει*, secundum Aristophan. Nub. v. 831. — „*Εὐστόμει, καὶ μηδὲν εἴπῃς φλαῦρον* etc. Bona verba, ne

male dixeris." Id. in Acharn. „Εὐφημεῖτε, εὐφημεῖτε." Add. Juliani Caess. ed. J. M. Heusinger. p. 26. Ibidem dictio εὐφήμει hoc significatu obvenit, quo quis veluti indignatus, *bona verba*, dicit. Verba ipsa sunt auctoris: „Καὶ ὃς ὥςπερ ἀγανακτήσας, εὐφήμει, ἔφη." Nec omittimus Demetr. Cydon. περι τ. καταφρον. τ. θανατ. cap. VI. §. 7. ibique praesertim Kuinoel. in notis: „Εὐφήμει est vox prohibentis alterumq. alia omnia loqui jubentis." Sed sufficiant exempla e Graecis petita. Apparet autem, usum huius locutionis Romanos ab illis accepisse.

ACTUS I. SCENA III.

Davus. In codice quodam inveni ab interprete supra scriptum: *secum*, *ad semetipsum*. Haec nota est, si qua unquam, superflua, cum nemo, praeter ipsum Davum, adest, cum quo, vel ad quem, ille loquatur. Hoc satis habebimus, cognovisse ingenia librariorum.

V. 2. *Quantum intellexi* etc. Hic versus tetram. est acatalectus. Jambicum esse sentimus magis ex accentu, quam syllabarum quantitate. Clausula quae dicitur, cadit post, *senis*.

V. 4. *certum est*, pro constitutum, decretum est. Cic. ad Fam. VIII, 5. „puto te constitutum, quid futurus esses, habere."

V. 8. *perii.* Sic vertitur ὄλωλα; vid. Fischer. ad Anacreont. Od. 40, 9. Terentiano hoc respecto.

causam ceperit. Non ita aliena locutio, ut merito eam ad Liv. 39, 23. Gronovius a contemtoribus non defendat. Livius autem loquitur: „bellum — ab ipso Perseo *causas cepit.*"

V. 9. *in pistrinum dabit.* Similiter Cic. de Or. I, 11. „*in pistrinum* detrudi."

V. 14. *tollere* sc. recens natos, pro educare. Eod. sensu gr. ἀνιστάναι.

V. 15. *fingunt — fallaciam.* Idem fere est, *fictas* artes, uti habemus in Gratii Cyneget. v. 318. Quod Burman. exponit, excogitatas a variis luxuriae magistris.

V. 16. *Civem Atticam*, hoc est, patre ac matre Atheniensibus ortam. Sed *civis* aut Atticus aut Romanus quanto honore, quanto jure fruerentur, non nesciunt, qui reipublicae utriusque populi sunt periti. Ex Demosthen. Or. adv. Leptin. ed. Wolf. Prolegom. cognoscere licet, quales fuerint πολῖται. Et quid valeat vox: „*civis* Romanus sum," vid. Cic. in Verr. II, 5, 57. 62. Nam qui hoc nomen prae se ferret, poterat facile ab injuriis defendi.

V. 21. *ego hinc me ad forum.* Subaudi, confero. Absque ellipsi, Plaut. Bacch. IV, 8, 61. „Abeo *ad forum.*" Est autem *forum* duplex, judiciale et mercuriale. Sic Ter. Varro, de L. L. IV. „Quo conferrent suas controversias, et quae vendere vellent, et quo quaeque ferrent, *forum* appellarunt."

V. 22. *imprudentem* h. e. inscientem.

opprim. cf. supra I, 2, 9. 10.

ACTUS I. SCENA IV.

V. 1. *Lesbiam. Lesbia*, quaedam mulier, Apulejo quoque memoratur, Apolog. I. Ut alias hoc nomine obvias passim taceamus. *Lesbos* insula vinis erat celeberrima. Inde Horatius, Epod. 9, 34. laudat „*Lesbia* vina." Quo fiebat, ut, si qua ebriosa mulier vel temulenta obveniret in scriptis poetarum, *Lesbia* facile cognominaretur.

illa temulenta. Cui non in mentem venit, „Pyrrhia vinosa?" Horat. Epp. I, 13, 14.

V. 5. 6. *Dii, date facultatem* etc. Cum his si minus verborum, at saltem rationis argumenti habemus similitudinem, in Euripid. Phoeniss. v. 538. 539. quae latine praebemus ita: „Quodsi enim injuria afficere oportet, tyrannidis causa optimum est injuria afficere; cetera pie agere necesse est."

ACTUS I. SCENA V.

V. 2. *si hoc non contumelia est.* Ad verbum usque, Aristophan. Nub. 1302. „Τοῦτ' οὐχ ὕβρις δῆτ' ἐστίν; Annon haec contumelia est?" Quem Aristophanis locum Harlesius laudat, cum nostro conferendum. Quod vocem *hoc* attinet, pro ea revoco vulgatam *haec.* Bentlejo τὸ *hoc* debitum reddo. Namque *haec* latine positum est; graece magis, *hoc;* quod ipsum ex Aristophane supra apparet.

V. 6. *denegarat.* Id quod secundum illa, quae supra sunt, I, 1, 117. seqq. Pamphilum ex quopiam audivisse supponendum est.

V. 7. *immutatum,* non perseverantem in amore pristino. Videlicet supra I, 1, 121. 122. Chremes eidem Pamphilo filiam suam negaverat se daturum, ut cui alio amore occupato. Nunc eam obtrudere eidem videtur invito.

V. 10. *invenustum.* Cui Venus ipsa adversetur. Opponitur *venust.* supra I, 93.

V. 14. *repetor.* Apparet, Chremetem, qui paulo ante recusaverat, nunc mutasse sententiam.

V. 15. *Aliquid monstri.* Non *monstrum* vere, sed gnata Chremetis ita significatur. Quid? Pro *monstro* filiam Chremetis habere, Pamphilum decet, tam bene moratum? Absit ab hoc. Putandum est potius, quamcunque aliam, praeter Philumenam, intelligi posse, quam ducat uxorem, dummodo avellatur a Glycerio. Quod vero hic Pamphilum implicite significasse suspicamur, id infra Davus explicite enuntiat, II, 3, 24. „*Aliam — quaeret.*"

V. 18. *Tantamne rem agere!* In exclamatione infinitivum ponunt Latini pro modo indicativo. A. Popma aliique grammatici hodieque putant, verbum *oportet* vel *decet*, aut aliud huiusmodi subintelligendum. Quod vero non opus esse, equidem opinor. Nam scriptores optimae notae, inter quos Livius praesertim, infinitivum verbi solum saepe cum nominativo nominis enuntiant. Quapropter alii hanc positionem pro infinitivo historico venditant sic dicto, alii per ellipsin, τὸ coepit vel coeperunt, subaudiri sibi videntur.

V. 19. *ux. tibi ducenda est — hodie para.* Ipsis ex sacris literis prodit simile. 1 Sam. 18, 21. „*hodie* eris mihi gener." Donatus legebat: *uxor tibi ducendum est.* Quod Donati *ducendum* Klockius tuetur prae lectione, *ducenda.* Idem ad Liv. 1, 2. „neque ullam rem contemnendam," adnotavit se malle *contemnendum*, quam *contemnendam.* De verbis gerundis plura docemur in Sanctii Minerva, lib. 3. c. 8. quorum usum exempla classicorum ibi congesta illustrant, ut, „Legendum est libros; radices in Etruria quaerendum est; omnes repudiandum est artes; motu privandum est corpora quaeque; canes habendum," et sic alia. De tali autem gerundio videre oportet, ut in singulari numero semper pro neutro genere habeatur, cum potestate verbi casum regentis. Exemplum Terentii est Phorm. II, 1, 19. *habendum compedes*," qua in syntaxi multi diu laborarunt interpretes.

V. 20. *id mihi visum est dicere* etc. Ne quis miretur, tantopere Pamphilum animo affectum. Nam quod apertum accidit et ante cognitum, id multo minus animum terret, quam quod inopinatum erat et ignorabatur.

suspende te. Cic. in Verr. II, 3, 56. „Dioclem — *suspendisse* se constat." Sic et Europe, Hor. od. III, 27, 58 etc. amissa pudicitia, ad semetipsam: „potes hac ab orno Pendulum — laedere collum." Calpurn. Ecl. 3, 86. etc. „Quodsi turpis amor precibus — Obstiterit, laqueum miseri nectemus

ab illa Ilice" etc. Sed desisto ab exemplis enumerandis. Nam propter amorem se suspendere velle, minime rarissima res est.

V. 27. *patris pudor.* Drakenborch. ad Liv. IV, 46. Terentio commemorato, adnotat, pudorem patris esse, quem reverentia paterna in animo filii suscitet. Vid. Terent. Hec. III, 4. 34. 35. De pietate parentum cf. Liv. 1, 50. „Turnum dixisse ferunt — ni (filius) pareat patri, habiturum infortunium esse." Pamphilus igitur anxius mente videtur de pietate.

V. 32. *Quis hic loquitur?* Tale initium, Plaut. Aul. IV, 10. *salve.* An *salve*, ut quidam volunt, vesperi venientes dicere consueverint, qui mane salutarent, *ave*, in medio relinquimus. Sed credimus Laurentio Vallae. „Non est," inquit, „apud Latinos aliud verbum, quo adeuntibus nos respondeamus, quam *salve.*" Vid. apud eund. VI, 30. Et conf. quae de *vale* dicta sunt, Heaut. I, 1, 115.

V. 33. *ex hoc.* Praepositione *ex* notatur, propter causam, unde hoc evenit. Burman. ad Grat. Falisc. Cyneg. v. 323.

V. 33. *Laborat e dolore.* Popma de Different. verbor. definit, laborem esse e dolore, quo afficiatur, qui laborat.

V. 42. *adeone me — putas?* Hoc modo refutandi alterum, per *adeo* interrogantis, Virg. A. XII, 646. „Usque *adeone* mori miserum est?"

V. 44. *Ut neque me consuetudo, neque* etc. Donatus acute vidit, hunc versum priori respondere, ac singula ejus verba referenda esse, τὸ *consuetudo* ad *ferum*, *amor* ad *inhumanum*, *pudor* ad *ingratum.* Haec autem apodosis vulgo grammaticis vocatur, quae consistit in sequentibus membris orationis.

consuetudo. Mitigatur hac voce sensus qui latet. Vid. Nepos in Attico c. 12. Sueton. Tit. 10. „Quidam opinantur, *consuetudinem* recordatum, quam cum fratris uxore habuerit."

V. 53. *Et ad pudicitiam* etc. Sententia haec Euripidis esse videtur, in Andromach. v. 184.

V. 54. *per genium.* Liquet sane *genium* bonum esse existimandum, uti Aeschin. Dialog. III, 20. δαίμων ἀγαθὸς memoratur, qui rectis sanctissimisque hominibus, quod recte ipsum sentiatur, ἐνέπνευσεν h. e. inflavit. Et Censorinus de die natali, c. 3. „*genius*," inquit, „est deus, cuius in tutela homo est, veluti suus."

V. 56. *Te obtestor.* Donatus exposuit: „*Obtestatio* est precatio, cum mentione earum rerum, per quas petimus."

V. 57. *germani fratris.* Liv. 41, 27. ubi Drakenborchius adnotavit, *fratrem germanum* esse, qui sit vel *ὁμοπάτριος*, vel uterinus, vel adoptivus.

V. 60. *tutorem.* Inter pupillos, qui tutelae viri alicuius traderentur, etiam feminae numeratae sunt apud Romanos et Graecos. Et Athenis fuerunt mulierum *tutores*, quos *κυρίους* appellabant. Vid. Heinecc. Syntagm.

V. 61. *Bona.* Errat Heineccius, Syntagm. Lib. I. Tit. 10. qui censet, *bona* hic dotis nomine concedenda Pamphilo significari ita propria, quemadmodum uxoris bona marito. Nam permittuntur tantum ea seu committuntur eidem, non ut marito, sed ut tutori. Id quod etiam sequentia verba docent: *et tuae mando fidei.* Legunt alii *committo* pro *permitto.*

V. 62. *in manum dat.* Duae formae matrimoniorum fuisse videntur, saltem apud Romanos, secundum Quinctilian. Instit. or. V, 10. una, cum cui legatum fuerit, quae viro esset materfamilias, altera, cum *in manum* convenerit. Ab hoc non alienum est Cic. Top. 4. „Cum mulier viro *in manum* convenit, omnia quae mulieris fuerunt, viri sunt dotis nomine."

V. 64. *propera.* Leg. al. *properabis.* Quae quidem lectio perderet finem jambici versus. Quem si Faërnus pro trimetro jambico venditet, scire velim, quam celeriter, et quantis elisionibus ipse eum pronuntiaverit.

ACTUS II. SCENA I.

V. 1. *Byrrhia*, servus est, cuius nomen derivatur *ἀπὸ τοῦ πυῤῥός*, h. e. rubens seu rubicundus, mutato *π* in *β*. Inde videtur Hadrian. Junius de Coma existimasse, *Pyrrhia* scribendum esse, non *Byrrhia.* Etiam var. *Birria*, *Byrria*, sine aspiratione.

datur-nuptum. Apud Liv. 1, 50. variat *dat nuptum* et *nuptui.* Quorum prius Drakenborchius quidem censet etiam in nostro loco praeferendum esse, pro quo congessit more suo exempla aliorum. Insuper Terentius idem habet in Adelph. III, 2, 48. et Ph. V, 1, 25.

V. 10. *age, age.* Concedendo vituperat. „Eia et *age* adverbia hortativa aptissime imperativo conjunguntur." Sic Priscian. lib. 18.

V. 11. *omnia experiri.* Haec abierunt in proverbium, a plurimis, Cicerone, Livio, Jul. Caesare, aliis usurpatum. Etiam Seneca de Clement. XII. ait: „timor assiduus — *omnia experiri* suadet."

V. 12. *huic supplicabo.* De hac compositione Priscianus docet, a Romanis dici, *supplico* te et *tibi*, praemisso eodem usu Graecorum.

V. 16. *Ut te — moechum* etc. Prodit se servus proponendo, quod ipsum est servile et ingenuo homine indignum. Huic compara, quod est Eun. V, 8, 42. Ibi enim militem rivalem sibi recipiendum quidem patiuntur, sed jocose in amore meretricis tantum, minime in conjugali societate uxoris.

V. 20. *consili.* Id quod edidi, pro *consilii.* Praeterquam quod plures codices *consili* fovent, Bentlejus minus auctoritate codicum, quam, ut solet, argumentis nisus, auctor est ejusdem formae contractae. Nomen ipsum pro trisyllabo habet, non quatuor constans. Veteres autem affirmant, Horatium, Virgilium aliosque poetas illius aetatis, ipsum Ciceronem in soluta oratione, in nominibus in *ius* vel *ium* exeuntibus genitivos casus non per duplex, sed per unum i effecisse ita, ut pronuntiarent non *consilii*, auxilii, negotii, sed *consili*, auxili, negoti, et vocativum, loco accentus mutato, a genitivo distinxisse ita, ut in illo casu Váleri dicerent, in genitivo Valéri. Praeterea Ovidius existimatur genitivum per i, novare, nec minus Propertius. His addimus, quod notissimum est, poetas simili modo di pro dii ponere solitos esse.

V. 24. *Sponsam hic tuam amat.* Sic breviter in summa rerum. Sententia totius paucis enuntiata. Similiter Euripid. Hecab. v. 220. *παῖδα σὴν — σφάξαι.* Id imitatus Seneca, Troad. v. 1066. „Mactata virgo est.“ Rem ipsam declarare sine ambagibus, nec alibi est a Terentio nostro alienum. Unum huiusmodi referatur ex Adelph. III, 4, 20. 21. Erasmus igitur praedicat, hoc genus esse brevitatis, statim mediam in rem aggredi, id quod fieri in comoediis; vid. libell. de conscribend. epp. ed. Colon. 1537. p. 17. ubi idem suis ipse verbis loquitur: „Breviloquentiam praestabimus, si quando, ita ut fit in comoediis, statim mediam in rem aggrediemur.“

V. 25. *tibi cum illa fuit.* Simili modo Horat. Sat. I, 2, 57. „Nil *fuerit mi — cum* uxoribus unquam alienis.“

ah, Pamphile. Multum inest in his verbis, praesertim in particula *ah.* Nam Charinus, quod Pamphilus dixerat, *Num quidnam ampl. tibi cum illa fuit?* parum abest, quin id male vertat in pudicitiam virginis. Quod quidem ipse pro suo liberi hominis pudore aversetur. Omnino autem observamus, Terentium arte sua effecisse, ut ingenia liberorum

hominum a servilibus facile dignoscantur. Quod quidem videre licet in Charino et Pamphilo, in Byrrhia contra Davoque.

V. 30. *liberi.* Nempe *liberi*, citra fortunam, ad animum. Cic. de Fin. III, 22. „Recte solus *liber*, nec dominationi cuiusquam parens, neque obediens cupiditati.“

V. 31. *Cum is nil mereat, postulare* etc. Hoc fere incidit in sententiam Senecae, de Benef. V, 19. — „non dedit beneficium, qui invitus profuit.“

V. 34. *Facite, fingite, invenite, efficite.* Figura quod asyndeton Rhetorici appellant. Sic Euripid. Hecab. v. 62. „λάβετε, φέρετε, πέμπετ᾽, ἀείρατέ μου δέμας.“

ACTUS II. SCENA II.

V. 1. *ubi inveniam Pamphilum?* Hoc fere modo Euripid. Jon. v. 1110. — „ποῦ κόρην Ἐρεχθέως — εὕρω;“

V. 2. *in quo* sc. metu — *est.* Itid. Liv. 32, 26. „in timore esse.“ Idem contra, 37, 28. „in spe esse.“ Ibi Drakenborch ex Graecis adfert similia quae sunt, *ἐν ἐλπίσιν εἶναι, ἐν θαύματι εἶναι.* Thucydid.

V. 7. *qui me.* Iratus est, quod revocatur. Erant enim homines, qui servum currentem retinerent vocando, ut domi moram lueret malo. Quem ipsum morem ajunt Athenis fuisse, sic illudendi servitia.

V. 11. *obtundis, tametsi* etc. Idem fere est Liv. 37, 49. — „offenderunt aures insolentia sermonis — vetera et obliterata repetendo.“

V. 12. *ne ducas tu — tu ut ducas.* Sic inter duos alternatur oratio, Hor. Sat. II, 3, 177. „*tu* cave me minuas, *tu* ne majus facias id“ etc.

V. 13. Hunc vers. compara cum Plaut. Trin. III, 3, 79.

V. 23. *Paulul. obsoni.* Partitiv. c. genitivo, Ramsh. gr. §. 105. Praeter ea, quae ad vocem *obsonii* mihi adnotata sunt, etiam hoc omissum non sustinui, quod Diodorus refert, *obsonii* nomine pisces significari.

V. 28. *ornati, tumulti.* Formationes secundae declinationis. Ad Liv. 37, 29. prae *tumultu*, Gelenius notat, se in codice prae *tumulto* reperisse, superaddens, similiter *tumulti* apud Terentium, Plautum aliosque obcurrere. Sallustium *ornati*, senati etc. habere, notissimum est.

V. 31. 32. *puerum — Olera — ferre.* Transtulit versum Terentius ex Menandri Perinthia, qui est: τὸ παιδίον δὲ εἰςῆλθεν ἐψητεῖς φέρον. Intrat puer, minutos pisciculos ferens.“

V. 32. *pisciculos.* „Nomina diminutiva exeuntia in ta-

lem vocem, qualis est *pisciculus*, vermiculus, si rite formentur, vera sunt diminutiva." Laur. Vall.

piscicul. minutos. Xenoph. Cyropaed. VIII, 3, 38. „καὶ μάλα μικρὸν γήδιον." Inest abundantia vocis τοῦ *minutos*, propter *pisciculos*, nisi hic Plautinum angendi vel exaggerandi morem respicimus servatum, quo verius Poeta accedat quotidiano sermoni.

puerum — conveni — Olera ferre. Hoc sermonis genus quid sit: *conveni puerum ferre olera*, Bentlejus fatetur se nescire; ideo, ut nodum solveret, *conveni* mutavit in *conspexi.* Idem *conveni* jam Guyeto inexplicabile visum est in hoc verborum contextu, sed nihil mutavit.

Chremis. Declinatur, *Chremis* et *Chremetis*, cf. supra I, 1, 72. Zumpt. gr. lat. §. 71.

Ceterum pisces, immo pisciculi parvi facile poterant venire Athenis, urbe mari adjacente.

obolo. Minimo pretio. *Obolus* enim, gr. ὀβολός, nummus, duobus cruciatis cum quarta ejus parte ($2\frac{1}{4}$ Xr.) ad nostrum valorem computatur.

V. 34. *ridicul. caput.* Idem est, quod Graecis, ὦ γελοῖε. Lucian. Tyran.

V. 36. *Nisi vides* etc. *ambis.* Ellipsis, deest enim, nihil efficies.

ACTUS II. SCENA III.

V. 2. *Si id succenseat nunc.* Vide quam callide contingat sensa Simonis, supra quae sunt I, 1, 111. 122. 123.

V. 8. *Aliqu. causam, quam ob rem* etc. Ne mireris, non rectius Terentium dixisse, *quam ob* causam, quia *causam* praecesserat, non *rem.* Non aliter Plautus. Nam Poen. III, 1, 30. legimus, genere ipso mutato, „An vero non justa *causa* est, quo curratur;" ubi quo, pro, qua sc. causa.

oppido eiciat. Plautus expressius magisque licenter, Bacch. III, 1. „Ut eum ex lutulento coeno propere hinc *eiciat* foras."

eiciat. Vulgo script. *ejiciat.* Trisyllabum est in versu. Qui *ejectus* sit, vid. Virg. A. 1, 582. „*ejectus* — urbibus errat."

V. 12. *exclud. conclud.* Παρόμοιον, cf. infra IV, 4, 38. Hoc utroque verbo suspicor ad vocem conjugii vel matrimonii alludi, quo duo conjugentur, quasi vinculis jumenta.

exclud. Vis ead. verbi gr. ἐκκλύεσθαι apud Lucianum, Aristaenetum aliosque.

V. 18. *nec tu ea causa minueris.* Lucret. II. „Nil adeo magnum, nec tam mirabile quidquam Principio, quod non

minuant mirarier omnes Paullatim“ etc. Verb. *minuere,* quando cum infinitivo alius est positum, significat desinere vel deficere.

V. 20. — *ut — tibi jure irasci non queat.* Cum hoc si contuleris, quae supra sunt I, 1, 110. 111. facile apparebit, quam pulchre haec omnia inter se conveniant.

V. 21. *speres.* Verb. *sperare* pro timere, non est inusitatum.

his moribus. Itid. Sallust. Jug. init. — „quis est omnium, *his moribus* sc. civitatis corruptis.“ Dissentiunt inter se interpretes. Pars enim *his moribus* Pamphilum, alii Glycerium significari, opinantur. Illud cum verius est, adducimus Propertium, III, 12, 16. dicentem: „*Moribus his* alia conjuge dignus eras.“ *his moribus* h. e. malis *moribus,* uti Quinctilian. Inst. V, 12. „nunquam tamen hoc contingit malis *moribus* regnum.“ Sub voce *his* molliter tangit consuetudinem Pamphili cum meretrice famosam. Dicendum fuerat alias: homini *his moribus* corrupto, aut qui quidem ita videatur. Etiam in Heautont. IV, 5. Chremes veretur, ne filiam det Cliniae, quem existimet amore meretricio obstrictum.

V. 22. *Dab. nemo.* Ne nominet Chremetem, dicit, *nemo.*

iuven. inopem potius. Similiter Euripid. Andromach. 641. πένητα (generum) χρηστὸν, ἢ κακὸν καὶ πλούσιον.

quam te corrumpi sinat. Proprie corrumpi mores dicuntur hominis; aut ipse corumpitur homo vitio vel libidine quadam. Propert. Sat. II, 23. „Ipsa Venus quamvis *corrupta* libidine Martis.“

V. 23. *neglic. fec.* Festus definit: „Neglegens dictus est, non legens, neque delectum habens, quid facere debeat, amissa ratione officii sui.“

V. 24. *int. aliq. acciderit boni.* Quid significet, incertum, nisi forte mortem patris. Nam tale quid esse, responsio annuit Pamphili.

ACTUS II. SCENA IV.

V. 3. *ex solo loco.* Qualem locum amant meditantes. Sallust. Jug. 99. proficiscitur in *loca sola* h. e. deserta, solitaria. Sic etiam Nep. Eum. 8. *loca* deserta, quae nemo incolebat.

ACTUS II. SCENA V.

V. 1. *relictis rebus.* Sic in summa cura qui versantur, si quid omni industria ac festinatione peragunt. Eun. I, 2, 86. Heaut. IV, 7, 12.

V. 4. *hoc agam.* *Hoc*, δεικτικῶς, id ipsum, quod imminet, quod his conspicitur et cognoscitur, qui adsunt. *Hoc agam* significat: in hoc quod praesto est, quod jam imminet, animum attendam. Inde formula est, *hoc age*, cuius usum habemus pro comperto, Sueton. Calig. 58. — „alii tradunt, alloquenti (Caligulae) pueros a tergo Chaeream cervicem gladio caesim graviter percussisse, praemissa voce: *hoc age*!" Ad haec conf. supra I, 2, 15.

V. 9. *neq. erit in me mora.* Sic Virg. B. 3, 52. „*in me mora non erit* ulla." Itidem, non impedio, nihil moror.

V. 10. *Ommut.* Sic Davus, qui supra dixerat: *Nunq. hodie tecum commutaturum patrem Unum esse verbum*, IV, 7, 8.

V. 13. *ne in mora.* Si forte parentur nuptiae.

nunc jam. Utraque vox conjuncta, apud fere omnes est scriptores.

V. 16. *Omnes sibi esse* etc. Itid. fere Eun. V, 8, 42. Proditur servile genus, quod est ingenuo homine indignum.

ACTUS II. SCENA VI.

V. 6. *virum.* Ironice, cf. infra III, 5, 10.

V. 10. *sollicitudo.* „Est *sollicitudo* in metu malorum." Popma.

V. 12. *dum licitum est.* Itidem excusandi causa, Cicero p. Coel. 18. „detur aliquid aetati, sit adolescentia liberior."

V. 18. *dic.* Accusatorum verba sunt, *dico*, ajo.

V. 21. *Num filio* etc. Subintellig. ita, tam parco sumtu.

V. 22. 23. *Quem* — *Potissim.* Symmach. ep. 9. „Ad nuptias invitabant amicorum *potissimos*." Quales enim convivae, tales apparatus.

V. 25. *videro* pro videbo. Ita Hor. Epod. 15. fin. risero pro ridebo. Aut accipiendum est videro pro providebo, curabo, significatione emphatica. Itid. Cic. ad Brut. 2. „de hoc tu *videris*." Saepe autem verba simplicia et composita, sicut tempora eorum permutantur inter se.

V. 26. *hic* — *veterator.* Quid sit *veterator*, rogaverit quis. Est versutissimus homo, ac paratissimus ad fraudem alicujus, qui non cavet. Cicero de Offic. III, 32. „Itaque decrevit senatus, ut ille *veterator* et callidus (qui juramentum fraude dissolverat) vinctus ad Hannibalem duceretur."

ACTUS III. SCENA I.

V. 2. *Sane pol.* Utraque vox affirmandi ac jurandi causa. Posterior *pol* pro certê, quasi dicas, per Pollucem. Sic frequentissime apud Terent. et Plautum. Pollucem et Castorem fratres fuisse constat fidissimos. Inde solitum per eos jurare. Senec. Med. v. 88. „Caedes Castore cum suo *Pollux* caestibus aptior.“

V. 5. *muta facta sit.* Euphonice *facta* propter *haec*, proximum femininum.

V. 7. *actum est.* In summa rerum desperatione dici solitum, *actum est*, ilicet, perimus. Brisson. de Form. Cf. Ter. Eun. I, 1, 9. Hoc dictum Simonis praeparat ad ferociam animi, quam ille in Critonem ostendit, infra V, 4.

V. 15. *Juno Lucina, fer opem.* Non omittendum est illud Theocr. Idyl. κζ v. 28. quo locus noster poterit illustrari. De nomine *Lucinae* vid. Cic. de N. D. II, 27. Ibi post indicatum derivatumque nomen sequuntur haec: „ut apud Graecos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros *Junonem Lucinam* in pariendo invocant“ etc. Sunt qui mirentur, immo qui reprehendant Terentium in comoedia palliata uti denominatione *Junonis Lucinae* latina, quae graece Ilithyia dicatur. Ac vere miramur, esse qui ita mirentur. Latino sermone utitur, inde eodem jure latina illius deae denominatione.

serva me. *Servatores* proprie dii deaeque dicuntur, ipsa ex formula Graecorum: *Χαίρετε θεοὶ σωτῆρες.* Ad hoc pluribus explicandum conf. Liv. 45, 44. ibique Drakenb. §. 20. not. Add. Horat. Sat. I, 9. „Sic me *servavit* Apollo.“ Id. Od. III, 22. „Ter vocata audis (Diana).“ Quae invocatio fere eadem est, Theocrit. in Epithalam. Helen. 50. *Λατὼ μὲν δοίη ὑμῖν Εὐτεκνίαν.*“ Ceterum quanta harmonia huic versui insit sonorum, vel quam jucundissimum μέλος seu modulatio pronuntiationis, id sedulo ostendit Sim. Bircovius. Quem vero ipsum vide in Schaefer. Edit. Dionys. Halic. composit. verbb. p. 463. Nec omittend. Callimach. epigr. 57.

V. 18. *Divisa sunt* etc. Tacit. Agric. 9. „*tempora* curarum remissionumque *divisa.*“ Haud secus Vellej. Pat. I, 15. *divisa temporibus.* Cui locutioni opponit isdem, „in unum contracta.“

V. 19. *discipuli.* Ubi *discipuli*, ibi doctor, instructor esse putatur. Nec absurdum videtur assumere, ad disciplinam chori theatralis alludi, quae graece χοροῦ διδασκαλία vocari solet.

V. 22. *in portu navigo.* Graecorum idem est proverbium, *ἐν λιμένι πλέω.* Id. trop. Senec. de brevit. vit. 18. „in tranquilliorem *portum* recede." Et Hor. Od. I, 14, 2. „fortiter occupa *portum.*" Nec minus Cicero, Rhet. I, 4. hac ead. utitur metaphora. Adeo patefit, proverbiale quod esset Graecis, transiisse in consuetudinem Romanorum.

ACTUS III. SCENA II.

V. 2. *ad salutem.* Ellips. graeca, *ἀνήκοντα,* pertinentia seu, quae pertinent; v. Lamb. Bos de Ellips. Ibid. ad hunc loc. cf. Schaefer. Zumpt. gr. §. 770.

V. 3. *istaec.* Non alienum videtur, quod Taubmannus notavit ad Plaut. Truc. I, 2, 94. Ibid. Terentii *ista* legitur pro *istaec.*

lavet. Graeci solebant utriusque sexus *lavari*, testibus Homero, Luciano, Theocrito aliis.

post deinde. Priscianus lib. 17. censet abundare *post.* Nos non ita. Conjunctio enim duorum adverbiorum, *post deinde*, uti, nunc iam aliorumque, non comicis solum, sed aliis quoque scriptoribus frequentissima est.

V. 5. *Date. Dare*, verb. medicum. Sic Cic. Fam. 16, 4. „Jus *dandum* tibi non fuit, cum *κακοστόμαχος* esses." Idem est usus Graecor. verbi *δοῦναι.*

V. 6. *puer.* Monosyllabo contrahitur antique *pur*, remissius *por.* Ut unum addam de multis. Qui servus a Lucio cive manumissus erat, nomen contractum accepit, Lucipor, pro Lucii *puer.*

V. 9. *Vel hoc.* Recte, *Vel hoc*, scilicet exceptis illis, quae reprehendit supra. Vid. Heaut. III, 3, 7. IV, 6, 2. *Vel*, pro Etiam.

V. 11. *intus*, in domo ipsa. Aeschyl. Pers. v. 753. *ἔνδον,* quod explic. Schol. *τοῦ οἴκου.*

V. 20. *irrideor.* Fluctuat mente, dolo alieno falsus sit deceptusve, an ipse teneat verum. Fallitur tamen credendo, Glycerium non peperisse. Et in hac persuasione callide eum confirmat Davus. Simo sapit, decipitur tamen. Dubius enim redditur, credat Davo, necne.

V. 21. *suspicio.* Damus quae enucleata Priscianus praebet etymologice. Is enim scribendum esse existimat *suspicio* ex susspicio; quia, inquit, non potest duplicari consonans, alia subsequente consonante. Ergo abjicitur unum s. Item, mirum non esse, addimus, varie inveniri *suspectio* et *suspec-*

cio, per duo c. Magis autem commode duae litt. c c permutabantur postea cum c t, ut esset *suspectio* pro *suspeccio*.

V. 23. *pernosti me, qualis sim.* Aliter dixisset, *pernosti*, *qualis* ego *sim.* Sed amat Terentius constructionem accusativi et nominativi unius ejusdemque subjecti. Exemplum est, Eun. III, 5, 62. 63. „*metuo fratrem*, *Ne intus sit*, „pro, *metuo, ne* frater *intus sit*. Quod vero Terentius didicisse videtur a Plauto. Unum sufficiat, Pers. V, 1, 8. „Omnes hilaros — faciam, ut fiant.“ At etiam serior aetas hunc dicendi modum retinuit. Senec. ep. 80. „si vis totum (hominem) scire, *qualis sit.*“ Conf. Terent. Eun. III, 5, 65. 66. Sed idem altius repetimus e Graecis. Platon. Sophist. §. 107. — „*κατὰ τὴν προςδοκίαν, ἣν ἐφοβήθημεν ἄρτι, μὴ* —“ quam timebamus, ne, pro eo, quod magis est consuetum, quae timebamus ne etc. Proinde ap. Liv. 4, 41. e duab. lectt. eligere licet, utra melior videatur. „Exercitus ubi esset, se nescire,“ an altera: „Exercitum, ubi esset, se nescire.“ Posteriori similem addit Drakenborch e Plaut. Men. II, 1, 21. et e Graec. praeter alias e Lucian. Amor. p. 874. „*Οὐκ ἀγνοεῖς τὸν θεὸν, ὡς ὀξὺς ἦν πρὸς Ἀφροδίτην.* Add. Ramshorn. gr. lat. §. 206.

V. 25. *nihil mutire audeo.* Huic conf. Pers. Sat. I, 134. „Men' *mutire* nefas“ etc. Ubi Lubinus exposuit, *Mutire* proprie esse, timide et imperfecte loqui.

Si. *falso.* Merito putamus, τὸ *falso* tribui dicendum *Simoni*, non cum Bentlejo, Davo. Nam saepe Simo credidit Davo.

V. 31. *multa concurrunt.* Hac fere positione, quamvis alia dictorum ratione, Cic. de Offic. III, 2, 31. „Quae (de quibus scilicet sermo fuerat ante) ut *concurrant* omnia, optabile est.“ Dixit, *concurrunt*, pro, faciunt, aut, ad hoc vel illud efficiendum, aut, quibus jam effectum sit hoc vel illud; cf. Heaut. II, 2, 3. Adelph. IV, 4, 19.

V. 38. *Id consil. capere*, sc. mulieres. Supra I, 14.

ACTUS III. SCENA III.

V. 1. *Jubeo Chremetem.* Verbum, salvere, addendum, quod opprimitur alterius personae interventu. Adelph. III, 4, 14. Pleniorem habemus hanc salutandi formulam, Liv. 1, 16. „Deinde — deum deo natum, regem parentemque nobis Romanae *salvere* universi Romulum *jubent.*“

V. 6. *Per ego te.* Figura tmesis sic dicta, Pro *Per te ego.* Supra I, 1, 36. et infra V, 1, 15. Et Plaut. Men. V,

7. „*Per ego* vobis *deos* atque homines dico.“ Sic Ovidius aliique poetae. Ipse Livius in prosa oratione hoc modo, lib. 23. cap. 9. „*Per ego te* — quaecunq. jura — precor.“ Quem ad locum vid. Fr. Gronov. Ramshorn. gr. §. 206.

V. 14. *in rem — utrique.* Contra Cic. Lael. 10. „Nam (Scipio enim sic disserere inductus) vel ut non idem expediret *utrique* (amicorum), incidere saepe; vel“ etc. Et si auctoritate Frontonis egeremus, inter exempla elocutionum ab eo collecta, est, „In rem est, pro utile est;“ Terentii, *si in rem est*, citato.

V. 16. *in commune ut consulas.* Huc transferamus, quae Cicero, de amicit. c. 17. enuntiat: „His igitur finibus utendum arbitror, ut sit inter amicos omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine ulla exceptione, *communitas.*“ Ut adjiciamus, ex Apuleji lib. 2. „et quod *in commune* expediat malle, quam quod tibi.“

V. 24. Si. *Hem.* Hanc particulam Simoni damus consuetam, non, ut Bentlejus, Chremeti. Vid. supra I, 1, 89. II, 6, 27. III, 4, 13.

V. 36. *quod dii prohibeant.* Itid. Quinctilian. Declam. 19. „*Dii* mala *prohibeant*, ut noveris illum dolorem, quo potest torquere filium pater.“ In formulis esse videtur, *dii prohibeant*, quod apud Brissonium non invenisse miror. E contrario notuerunt: „si dii volent; dii faciant; dii dent, ut annuant.“

V. 37. *commoditates.* Hic consule Drakenborchium, ad Liv. 4, 60, ubi idem Ciceronem adfert, de amicit. 11. dicentem: „Quumque plurimas — *commoditates* amicitia contineat“ etc.

V. 40. *animum inducere.* In laudanda hac phrasi, *animum* seu *in animum inducere*, quae Ciceroni aliisque scriptoribus in frequenti usu fuit, Terentius noster a Gebhardo in Liv. loco, I, 17. adfertur, exempli causa, sedulo citatus.

ACTUS III. SCENA IV.

V. 6. D. *quid?* S. *scies.* Sic Cic. ad Attic. 10, 12. „*scies*, quicquid erit.“ Ibid. 7, 25. „Sed jam jamque omnia *sciemus* et scribemus ad te statim.“ Hoc utebantur usu loquendi vulgari.

Revocamus lectorem ad versus 4. 5. ubi a Simone tangi animadvertimus summum fere omnium Terentii fabularum argumentum, quo dolus astutiaque servorum eo vertit ac tendit, ut domini eludantur, propter amores filiorum.

V. 9. D. *quid ais?* Quam callide veterator! Quod enim praesagiverat, simulat se nescire. Supra II, 6, 26. Praesagivisse autem Davus se exserit, I, 2, 4 — 12.

V. 15. *ut apparentur.* Nuptiae scilicet. Bentlejus refinxit, *ut apparetur*; cum nota: „Apparentur, scilicet nuptiae: atqui eae apparandae erant in domo Simonis, non Chremis.“ Errat vir magnus. Nam supra II, 2, 24 seqq. in ipsa Chremetis domo Davus suspicatur esse apparatus nuptiarum, non in domo Simonis. Addimus pro re nostra probanda locum infra IV, 4.

V. 16. *mihi effecisti has nuptias.* Referri haec possunt ad illa, quae Davus, scen. 2. sub fin. credere domino persuaserat.

V. 27. *Utinam — esset — quo me — praec. darem.* Ead. syntaxi Hor. Serm. I, 2, 27. „*Ut sit*, *quo* effugiat.“

ACTUS III. SCENA V.

V. 4. *pretium.* Abusive, pro damnum, poenam. Sic gr. μισθός, Callimach. in Lavacr. Pallad. Hymn. v. 102. Illic Ernesti Terentianum hoc simulque Horat. 3. Od. 24, 24. allegatum notavit.

V. 8. *Nec quid.* Post *Nec quid* Pamphili non temere resonat, *Nec quid* Davi.

V. 9. *producam. Producere* pro gignere, creare. Sic Plaut. Rud. IV, 4, 129. Ipse Terent. in Adelph. III, 2, 16. Iterum Plaut. Pseud. I, 3, 159. „*moram* tibi creas.“

V. 10. *bone vir.* Ironice. Sic Cic. Verr. II, 4, 6. „Quid ais, *bone* custos defensorque provinciae.“ Cum acerbitate animi, sed non injuste.

V. 12. *furcifer.* Vid. Popma, de different. verbb. sub voce *furca.* „*Furcifer* convicium est, quod servis quidem, sed liberis hominibus non sine injuria, ingerebatur. Nam servi solum sub furca circumducti puniebantur.“

V. 15. *meritus.* Priscianus, hoc loco citato, *meritus* positum esse autumat pro meruisti. Recte admonet Bentlejus dicendo: „*Meritu's* autem scribendum, ut es cum eo coalescat; ut meritust pro meritus est.“ Et hunc scribendi modum saepe etiam metri causa servandum ille putavit. Id certe prodit, in hac contractione ultimam syllabam produci.

crucem. Itidem simpliciter responsum, Lamprid. in Alexand. Sever. 28. „Et cum quaereretur a regibus, quid apud eos paterentur fures, illi responderunt, *crucem.*“

V. 16. *dispiciam.* Popma de different. verbb. „*Dispi-*

cere est diverse diligenterve inquirere, providere, et tanquam in omnem partem animum oculosque intendere. Despicere est, deorsum aspicere.

ACTUS IV. SCENA I.

Hoccine est credibile etc. Minus acerbe judicatum est de hominibus, apud Ovidium ita: „Nec mihi *credibile est*, quemquam insultare jacenti."

V. 1 — 4. Hi versus quatuor priores videntur dactylico metro facillime recitari.

V. 2. *vecordia.* „*Vecors* est turbati et mali cordis." Festus in fragmentt. Et secundum Macrob. Sat. 6, 8. particula *ve* significat minutionem.

V. 3. 4. *Ut malis gaudeant*, *atque* etc. Similis sententia Tibull. Eleg. 3, 6, 43. 44. Magis tamen Terentiana vertitur in vituperio malignorum hominum. Recte igitur monet Cicero, de Offic. 3, 17. „hoc secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscientia."

ex commodis Alterius sua ut comp. commoda. Quam graviter hoc agat Cicero habeatque, id videre licet ex lib. III, c. 5. de Offic. Loquitur enim de societate hominum constituenda, quid ibi justum sit nec ne. Verba ejus sunt: „si unusquisque nostrum ad se rapiat *commoda aliorum*" etc. Quae vero Cicero philosophans in universum disputat, ea attribuit Terentius, comicus poeta, singulis personis. Tamen ambo conveniunt in uno.

V. 13. *hic*, in praestandis, quae promiserant. — *Si roges* etc. Hic locus est Plauti, Epid. II, 1.

V. 14. *illic*, in promissis ipsis. Hic locus ex Plaut. Epid. II, 1. explicabitur, unde Terentius suum, puto, mutuatus est.

V. 15. *adeam.* Vox scenica. Plaut. Mil. gl. II, 5, 10. *Adeamus*, appellemus. Sic alibi saepe.

V. 16. *Ingeram mala multa.* Haec ipsa sunt Plauti verba, Pseud. I, 3, 24. Itid. Horat. Sat. I, 5, 11. „convicia *ingerere.*"

V. 17. *Multum.* Pro *Multum* Bentlèjus ex arbitrio suo posuit, *Nil?* non inepte. Nos vero persistamus in auctoritate codicum.

V. 18. *nisi dii respiciant.* Claudian. epist. ad Adrian. lin. 33. 34. „Jamjam suppliciis fessos humilesque serenus Respice." Notandum est, deos proprie dici respicere homines. Qui si supplices sint, tunc praecipue.

V. 22. *miserum.* Nempe propter amorem. Sic Virg. A. 4, 117. „*miserrima* Dido."

V. 22. 23. *qui tuum animum* etc. Elliptica oratio. Addi poterit: sed non ita esse sentio. Tum Pamphilus: *Falsus es*, h. e. erras; nam non minus fidus ego sum, quam tu. Quod attinet *Falsus*, improbatur Laur. Valla, qui exposuit *Falsus*, ut esset, „qui fallit."

V. 24. *Nisi me lactasses amantem.* Est *lactare*, consolari inaniter. Quo modo Erasmus: „Vide nē me *lactes* inani spe, ne doloris vorsuram fecero, mox cum foenore recursuri;" de conscribend. epp. p. 277.

V. 25. *Habeas.* Animadverte, quantum insit acerbi, si contuleris, quod est I, 1, 58. Nam verb. *habere* ambigitur. Contra quam humanus apparet Pamphilus adversus Charinum ferociter objurgantem!

V. 27. *de te si exempl. cap.* Plaut. Most. III, 2, 75. „hinc *exemplum capere* vult."

V. 29. *altercasti.* Praefert Donatus *altercatus es.* De utriusque et activae et passivae formationis usu, in eadem significatione, vid. Priscian. p. 29.

V. 37. *Instare*, pro stimulare. Sic Valer. Flacc. I, 30. „*instat* fama viri."

V. 40. *mihi deos iratos, qui* etc. Brisson. de Form. 1, 183. „*Deos iratos* optabant veteres his, quibus imprecabantur." Lucan. Phars. 3, 449. „Et tantum miseris *irasci numina* possunt."

V. 51. *hoc tibi pro servitio debeo* etc. Hoc enim interest inter dominum et servum, quod inter animum et corpus. Sallust. Catil. init. „sed nostra omnis vis in animo et corpore sita; animi imperio, corporis servitio magis utimur." Itaque servus ille in ore habebat, quod idem philosophus mente cogitarat. Nec tam subtile fuit, quin servi captum subiret.

pro servitio. Quia servus sum. Servitium enim pro servo dicitur Liv. 3, 15. „Et *servitiis* h. e. servis jugum demeret." Ibi Fr. Gronov. plura notavit. Similiter „mastigia" Plauti, h. e. qui mastige percuti merentur. Abstractum pro concreto. Zumpt. gr. lat. §. 675.

V. 53. *Capitis periculum adire.* Non parcitur servo, propter vitam domini. Euripid. Andromach. Haud rara servorum exempla sunt pro dominis mortem ipsam ultro subeuntium; vid. Macrob. Saturnal. I, 11.

V. 54. *Tuum est*, mihi ignoscere. Senec. de clem. 18. „Servis imperare moderate, laus est."

ACTUS IV. SCENA II.

V. 1. *ubi ubi erit.* Sic etiam *ubi* geminatum v. Liv. II, 2. „ne *ubi ubi* regum desiderium esset.“ Plura vid. ap. Drakenb.

V. 8. *si hic quiesset.* „*Quiescere* est, a seditione, a tumultu abstinere, nullas turbas movere.“ Ita Fr. Gronov. ad Liv. 45, 37. Hic retinendum posterius.

V. 9. *instiga.* Hoc fere modo Liv. 6, 23. — „per se milites inclinatos insuper *instigabat.*“

V. 13. *Hanc mi expetivi; contigit* etc. Quam mitis oratio ac humana! Nam non, pereant, dicit, sed *valeant*, etsi non sine quadam animi acerbitate. Hac dictione notissima utuntur Ovidius, Fast. 6, 253. Cicero, N. D. 1, 44. Virgilius, A. 11, 97. *Hanc mi expet.* Ad verbum usque Plautinum, Cist. I, 1, 79. „Quia ego illum exoptavi, quicum aetatem degerem.“

V. 16. 17. *per me stetisse* — *Quo minus* etc. penes me — in mea potestate fuisse. Haud secus loquitur Livius, 44, 14. „*Per* quos *stetisse*, *quo minus* belli finis foret.“ Non quidem dictio *quo minus* sequitur, sed particula, *ne*, apud eundem, III, 61. — „*non per* milites *stetisse*, *ne* vincerent.“

V. 20. *effect. redd.* Paraphrasis, pro efficiam. Ramshorn. lat. gr. §. 171.

V. 25. *immo etiam.* Fastidit Davus scire, quo locorum Charinus abeat; instat tantum, ut jamjam hinc aliquo migret. *immo*, gr. *μᾶλλον δέ.* Ramsh. lat. gr. §. 174.

V. 29. *Face.* Frequentius, fac. Inest vis instantis ac festinantis.

ACTUS IV. SCENA III.

V. 1. *Di nostram fidem.* Plenior haec locutio ex Plaut. Men. 5, 8. „clamabas deûm *fidem.*“

Nil proprium cuiq. Recordamur id. dictum Isocratis ad Demonic. „*Νόμιζε, μηδὲν εἶναι τῶν ἀνθρωπίνων βέβαιον.*“

V. 9. *hunc.* cf. v. 7. *puerum.*

V. 11. *verbenas.* Am. Marcellin. 29. de sacrificulo, *verbenas* felicis arboris gestante. Ergo boni sunt ominis verbenae. Nec secus Symmachus ep. 10, 35. „*verbena,*“ inquit, „inter arbores felices habita.“ Et cf. Horat. Od. 4, 11, 7. Trillerus, in Observ. critic. versus ex Menandro recordatur, quem a Donato corruptum produxit extricatum ita: „*Ἐκ δ'*

Ἑστίας σὺ μυῤῥίνας ἔχῃς Δικτύννης, h. e. Ex ara Dictynnae sive Dianae *verbenas* habe vel habeas." Quam herbam veteres putabant male parturientibus remedium. Quare Davus eam, mulieri indulgens, recordatur. Nostratibus est verbena officinalis, Linnaeo, Eisenkraut.

V. 18. *quod consilium prim. intenderam.* Hoc refer ad illud, quod supra est, III, 2, 35. 36.

V. 24. *remorer.* Significationem activam habet, quando accusativo jungitur, vid. Priscian. p. 289. Edit. Bas. 1554.

ACTUS IV. SCENA IV.

V. 14. *faxis.* Huiusmodi formas Plautus adhibet frequentius, ut effexis, ejexim. Ibid. infra v. 21. excessis. Credunt grammatici esse pro excesseris.

V. 24. *Cuium puerum.* Priscian. leg. *cuius puerum,* lib. 17. p. 563.

V. 25. *dic quod rogo.* Ad verbum fere Plauti, Most. III, 2, 61. „Responde primum, *quod* ego te *rogo.*"

V. 26. *cuius.* Pro monosyllabo pronuntiabant veteres τὸ *cuius*, litera sive consonante sive vocali sequente. Vidd. Bentlej. et Wasius de licentia vett. poetarum. Hoc etiam monuit, viris illis praeeuntibus, J. M. Heusingerus ad Cic. Offic. 3, 26, 4. „*Cuius* ipse princeps" etc.

cuius nostri? Var. lect. cuius *vestri?* Quod magis conveniret priori *Vestri.* Nec minus tamen juste poterat Davus per *nostri* interrogare.

V. 31. *Suffarcinatam.* Plaut. Curc. II, 3, 10. „*Suffarcinati.*" Quam vocem Lambinus negat esse latinam. Sed ipsum necesse est legi, ut intelligatur.

V. 38. *ibid. pervolvam in luto.* Burmann. ad Grat. F. Cyneg. 114. respexit hoc Terentianum, explicans *ibidem* de eodem loco, in eadem via. Recte enim putatur Davus gesticulari δεικτικῶς, via demonstrata, quo ipse *provoluturus* sit infantem.

V. 44. *per tempus.* Cornel. Fronto in exemplis: „id est, opportune."

V. 49. *mi senex.* Sic blande ac honorifice. Denominatio autem *senis* in honore erat apud utrumq. populum et Romanorum et Graecorum. Huc pertinent, quae Cicero dixit in Catone c. 6.

V. 50. *ne me atting.* Praesumitur Davus joco eam percussisse.

V. 51. *Si pol* etc. Aposiopesis. Subintell. dico, narro. *Si — non.* In affirmatione, sic Eun. V, 1, 22. Phorm. V, 8, 5.

ACTUS IV. SCENA V.

V. 2. *sese optavit parere divitias.* Exempla verborum, optare, velle, nolle, malle, cupere, studere cum infinitivo et accusativo constructorum congessit Corte ad Sallustium; quibus alia ex scriptis Ciceronis adjungere si opus esset, possemus.

V. 3. *honeste vivere.* Sic fere A. Lampridius in Alexand. Sever. 32. „His imperator tantum dabat pensionis, ut, qui acciperet, pro loco suo posset *honeste vivere.*"

viveret. L. Valla legebat *vivere*, incommodius quidem, putans nominativum *pauper* non minori jure adponi, quam accusativum.

V. 4. *ea.* Nempe quae reliquit.

lege. Recte. Nam *lege* propior erit heres, quam qui testamento est constitutus. Heineccius, syntagm. lib. 3. Tit. 1. „Romani non alios," inquit, „ad intestatorum hereditatem vocabant, quam qui ejusdem essent gentis et familiae." De gente autem Crito se esse dicebat Chrysidis.

V. 5. *Salvete.* Huiusmodi salutatio mutua, supra I, 5, 32.

V. 6. *sobrinus.* De *sobrinorum* consobrinorumque discrimine videantur quae notavit J. M. Heusinger ad Cic. de Offic. I, 17. Idem ibi allegavit nostrum quoque locum Terentii.

V 7. *salve. salvus sis.* Optant sibi invicem salutem. Ita quidem videtur Lucianus intelligi, in Apolog. hisce verbis extremis: „τῷ τῆς ὑγιείας ὀνόματι πολλάκις ἀμείβεσθε."

V. 8. *miseras perdid.* Morte nos *miseras* reliquit. Catull. 68, 92. „heu *misero* frater ademte mihi." *perdidit* sc. morte sua. Similit. Virg. A. 9, 482. mater luctuosa de filio occiso: „potuisti linquere solam." Saepe vero *miseri*, qui superstites sunt, dicuntur, non mortui.

V. 9. *satisne recte*? Sic modo salutantium in adventu. Plin. ep. 2. lib. 6. „Ecquid omnia in tua (domo) *recte?*"

V. 12. *huc me attuli*, cf. Plaut. Amph. 3, 4, 6. „*huc me affero.*"

V. 15. *hospitem. Hospes* pro peregrino solum valeat, an plus aut minus, in medio relinquimus. Tria certe genera lege Atheniensium distinguebantur, id est, τῶν πολιτῶν, τ. ἰσοτελῶν κ. τῶν ξένων. *Hospites* autem peregrini homines

erant, qui Athenis commorabantur aliquamdiu. Vid. Wolf. Proleg. ad Demosth. or. Lept.

V. 16. 17. *quam utile — commonent* etc. Hoc idem aliis verbis, Tibull. 3, 6, 43. 44.

V. 20. *Me sycophantem — hereditat. perseq.* Multus quidem fui ad hunc locum, sed omittere jam non sustineo, quae mihi occurrunt notanda ex Festi fragmentt. ed. Genev. 1583. Legimus ibid. p. 111. „*Sycophantas* quidam ex hac causa dictos putant. Atticos quondam juvenes solitos ajunt in hortos quorundam irrumpere ficosque deligere, quam ob causam lege factum, qui id fecisset, capite (capital) esset ei. Quam poenam qui persequerentur ob parvula detrimenta, *sycophantas* appellatos.“ Ac vere poterat Crito vocari *sycophanta*, cum consideraveris ex Menandro, quae sunt: „*Καὶ συκοφάντης εὐθὺς ὁ τὸ τριβώνιον ἔχων καλεῖται, κἂν ἀδικούμενος τύχῃ.* Cui vestis squalida, *sycophanta* dicitur statim, quamvis patiatur ipse injuriam.“

V. 21. *ipsam spoliare non lubet.* Sic justissimi animi Crito ostenditur, maxime vero secundum ea, quae Cicero lib. de Offic. 3, 18. de hereditatibus vel juste vel injuste quaesitis disserit.

V. 22. *antiquum.* Est ellipsis graeca, ἀρχαῖον sc. τὸ εἶδος, antiqua species. vid. Dion. Chrysostom. Orat. XXI. Etiam subauditur, ἔθος, mos. cf. Lamb. Bos ed. Schaef. Plenius pro more suo Plaut. Most. III, 2, 102. „*antiquum* hoc *obtines* tuum.“

V. 24. *nolo me.* Metuit enim, ne se dominus cogat, in praesentia Chremetis, pro nuptiis Aeschini disserere.

in tempore hoc, h. e. *hoc* ipso *tempore.* Nep. Miltiad. 5. ibid. Paufler.

ACTUS V. SCENA I.

V. 4. *Ut benefic. verbis initum dudum, nunc re comprobes.* Sic fere dictum Liv. 39, 27. Ibi legati Eumenis: „si liberas esse Aenum et Maroneam (urbes Thraciae) velint Romani, nihil — ultra dicere, quam ut admoneant, *re*, non *verbo* eos liberos relinquant.“

V. 6. *Vide quam iniquus sis.* Formulae speciem habet. Itid. Sallust. Iug. 80. „Nunc *videte, quam iniqui sint.*“ Qui *iniqui* dicuntur, acrius justo omnia discutiunt.

V. 7. *Neque modum benignitatis* etc. Bene praescripsit Symmachus, epp. I, 77. „Amicorum orata curare, bonae frugis officium est, praecipue si non refragetur aequitas

postulatis." Et Cic. Lael. 10. „Magna etiam dissidia, et plerumque justa nasci, cum aliquid ab amicis, quod rectum non esset, postularetur."

V. 8. *remittas.* Popma huc respiciens contendit, veteres in conjunctivo modo *remittes* dixisse pro *remittas.*

onerare injuriis idem fere est, quod *onerare* maledictis. Plaut. Pseud. I, 3, 122.

V. 15. *deos.* Pro monosyllabo pronuntiandum; itid. pronomina, ei, eam, eis, eos etc. Duae vocales coeunt in unam, apud comicos.

V. 18. *rem* pro causam, quia praecesserat *causa.* Sic ex usu loquendi. Nec aliter Cic. Brut. 65.

ACTUS V. SCENA II.

V. 2. *meo praesidio.* Laur. Vall. de L. L. eleg. lib. II. exposuit: „salvus sum *meo praesidio atque hospitis*" etc. Sed addit, non, praesidio mei, dicendum esse. Quod nec tirones fugit, *meo* Davi esse, praesidium suum sibi praestantis.

V. 4. *cesso adloqui?* Formula interlocutorum solemnis. Plaut. Men. 5, 3, 3. „Quid *cesso* abire ad navem?"

V. 9. Da. *Mihine?* Si. *tibi ergo.* Graece Priscianus ad hunc locum: „οὐδεὶς λέγει τοῦτο; λέγει τοῦτο οὐδείς. nemone dicit hoc? dicit hoc nemo."

V. 10. *anne.* Particulae interrogandi quo in usu sint, vid. Ramshorn. gr. lat. §. 174. seqq.

V. 11. *non tu dixisti?* — Supra III, 3, 20. Crediderat Simo id Davo affirmanti.

V. 14. *Nescio qui senex* etc. vid. Ramsh. gr. l. §. 160.

V. 19. *quid est?* Has voculas, *quid est*, Bentlejus Dromoni attribuit dicendas, Muretus Davo. Mureto magis equidem assentior, considerato, quod Dromo surdioribus auribus serius demum audit.

addideris. Sic abruptum, ob iracundiam. Pleniora amat Plautus, Rud. V, 3, 45. „Vapulabis, *verbum si addes* istuc unum."

V. 20. *sublimem rape.* Plaut. Men. V, 7, 6. „jam *sublimem raptum* oportuit." Ibid. V, 8, 3. „homines qui te ferebant *sublimem.*"

V. 22. *nihil audio,* plane recusantis. Sic Phorm. III, 2, 1.

V. 24. *adservandum.* Sic proprie de custodiendis. Cic. in Verr. II, 5, 27. custodiri ducem praedonum placuit. Quae sunt istae custodiae? Quemadmodum est *adservatus?*

constringito. Cic. de Fin. III, 22. — „recte invictus, cuius etiam si corpus *constringitur*, animo tamen" etc.

quadrupedem. Supple: tanquam *quadrupedem* eum. Sueton. Calig. 27. „Multos honesti ordinis — bestiarum more *quadrupedes* cavea coercuit." *Quadrupedem* aliquem *constringere* est, ita constringere, ut quadrupes videatur, manibus pedibusque conligatis.

ACTUS V. SCENA III.

V. 1. *Quis me vult?* Plaut. Men. IV, 3. „*Quis* hic *me* quaerit?"

omnium. Plenius est et strictius simul Graecorum Sophocl. Antig. v. 738. „ὦ παγκάκιστε, o omnium pessime!" Ob iracundiae impetum suffocatur cetera vox.

V. 4. *confidentiam.* Sueton. de Calig. c. 51. In isto summa *confidentia* et nimius metus, diversissima vitia, notantur. Inde apparebit facile, *confidentia* quid sit, ex adverso metui collata.

V. 14. *Eod. die istuc verbum* etc. Quod sero fit, frustra est.

Eodem die. In principio amoris tui meretricii. Tunc enim commodissimum erat dixisse *istuc verbum*, quod V. 11 est, *Me miserum.* Itid. fere Dido, Virg. Aen. IV, 596, sera poenitentia amoris ultro exclamat: „Infelix Dido! nunc te fata impia tangunt. Tum decuit (sic ingemuisse), cum sceptra dabas" (Aeneae amato.)

V. 15. *cur me excrucio?* Itid. Catull. carm. 76. ad semetipsum: „Quare te jam *cur* amplius *excrucies?*"

V. 18. *habeat, valeat, vivat cum illa.* Huc acced. Horat. Sat. 1, 4, 47 seqq. „At pater ardens Saevit, quod meretrice nepos insanus amica Filius uxorem grandi cum dote recuset." Quis non videt, his respici ad Terentium?

V. 19. *Quasi tu indig.* Amicior redit sermo per secundam person. *tua indigeas.* Ante V, 18., aversus pater loquebatur de filio odioso per tertiam. Vid. ad Phorm. III. 2, 29.

V. 20. *Domus.* Explicatio sumitur eadem ab Ovidio, Fast. IV, 543. „Tota *domus* — hoc est, materque paterque Nataque: tres illi tota fuere *domus.*"

liberi. Sic solent, ubi de uno loquuntur. Itid. Virginius de filia una, Liv. 3, 50.

V. 25. *si id peccare est, fateor.* Per *id* innuitur, amare. Similit. Ovid. Heroid. II, 27. „Dic mihi, quid fe-

ci, nisi non sapienter amavi." Id quod caderet in Pamphilum.

V. 30. *da veniam.* Cornelius in Themist. 10. ed. Fisch. *veniam dedit*, concessit.

sine — exorem. Post *sinere* particula *ut*, omissa. Schulz. gr. lat. §. 105. Ibi addita vellem Iul. Caesaris exempla ejusdem omissionis, post scribere, mittere; b. g. 3, 8. „Tunc si jusserit Caesar, quid fiat."

ACTUS V. SCENA IV.

V. 5. *eho, tu* etc. Prae ira salutationem negligit, quam debebat prius alutanti. Necdum hospitem viderat ante.

V. 10. *amores.* Hos Cicero numerat inter libidines, adulteria, convicia. Suavius memorantur iidem Virg. Buc. III, 109. VIII, 23. — „semper pastorum ille audit *amores*."

V. 17. *Si mihi pergit* etc. Huic versui eique extremo assonant verba Euripidis, Andromach. 427. „λόγους γὰρ οὐ φίλους ἀκούσεται. Verba enim non amica audiet." Id. in Alcest. 708.

V. 20. 21. *ejectus. tum egens*, et V. 24. *recepit.* Hac ratione loquendi Senec. de benef. VII, 25. videntur expressa: „*Ejectum* littore *egentem* Excepi, et" etc. Verbum *ejici* de naufragio frequentatur.

V. 34. *apud me.* Ad intimum. Ramsh. gr. lat. §. 137.

V. 36. *Nae istam tuam — inveniri gaudeo.* Ex Plaut. Men. V, 9. 73. 74. „tu, quem ego — quaesivi, quemque ego esse *inventum gaudeo*."

V. 38. *odium.* Abstract. pro concreto, pro, o hominem te odiosum. Sic Plaut. Truc. II, 2, 65. „sed eccum *odium* progreditur meum."

„*nod. in scirpo qu.* Proverbio Ennius: „*Quaerunt in* scirpo, soliti quod dicere, *nodum.*"

V. 40. *id quaero.* Plaut. Pseud. IV, 2, 27. „homo in medio luto est, Nomen nescit: haeret haec res."

V. 44. Vers. trochaicus: *di ament.* Pronuntia, *di'ment.*

V. 45. *iam dudum* etc. Dicit, *Iam dudum.* An recte? Quidni hoc? Nonne optaverat *jam dudum*, nonne egerat cum Chreme, ut is gnatam daret filio?

res reduxit me in gratiam. Ead. syntaxi Quinctilian. Declam. 19. „*In gratiam me* cum filio *reduxit* orbitas."

V. 47. *dos est*, seu promittitur. „Nam promitti *dos* solebat in hunc modum, verbi gratia, *decem dot.* tibi erunt." Ulpian.

V. 48. *accipio.* Hac dictione opus est ad paciscendum. Inde Donatus: „Ille nisi dixisset *accipio*, dos non esset.“ Rata igitur non habebatur pactio, nisi alterius partis praemissa fuerit vox, *accipio.*

V. 52. *jube solvi.* Euripid. Andromach. V. 578. χαλᾷν κελεύω δεσμά.

ACTUS V. SCENA V.

V. 1. 2. *aliquis* fors. *me putet Non putare* etc. His Terentianis conveniunt Aeshycli verba, in Agam. V. 275. „Πῶς φῄς; πέφευγε τοὖπος ἐξ ἀπιστίας. quid ais? effugit verbum prae incredulitate:“ h. e. adeo incredibilia sunt, quae narras, ut, quae audiverim, audisse mihi non videar. Ed. Schütz. p. 194.

V. 3 — 5. *Ego deorum vitam* etc. Secundum philosophiam Epicureorum sunt haec dijudicanda. Quare Nemesium citamus, de nat. hom. 44. „Ἐπίκουρος γοῦν ἔλεγε, τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Epicurus enim dicebat, quod beatum sit et immortale, neque ipsum habere negotia, neque alteri exhibere.“ His autem conforme est: *si nulla aegritudo intercesserit.* Namque curae non vacant aegritudine; ideo molesta vita est, non omnimodo beata. Ceterum Virgilius quoque jungit immortalitatem cum beatitudine deorum, A. XII. 882 etc. Addimus Ausonium, qui ista epigrammate, quod Epicuri opinio inscribitur, comprehendit. Sic sonat: „Quod est beatum, morte et aeternum carens, Nec sibi parit negotium, nec alteri.“

ACTUS V. SCENA VI.

V. 1. *Pamph. ubinam h. est?* Observanda est natura hominis, quid obtigerit, cum altero communicandi. Nam et Cicero ait: „Sic natura solitarium nihil amat, semperq. ad aliquid, tanquam adminiculum, annititur, quod in amicissimo quoque dulcissimum est.“ Lael. 23. Idem ibidem, c. 22. „Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aeque ac tu ipse gauderet?“ — Da. *Pamph. ubin. hic est?* Sic placitus est ordo verborum Mureto, quem sequebar. Nunc redeo ad vulgatum: Da. *Pamph. ubinam?* Pa. *hic est, Dave.*

V. 9. *Solus es, quem diligunt dii.* Quod fere dictum transtulit ex Plaut. Bacch. IV, 7, 18. 19. — „*Quem di diligunt*, Adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit.“

V. 10. *in tempore ipso,* cf. Heaut. II, 3, 123. Quid

sit *in tempore*, Drakenb. ad Liv. VIII, 7. satis ostendit: h. e. *tempore* commodo, vel opportunissimo; quae locutio est Livio valde familiaris, nec minus Terentio. Graecorum item est, ἐν τῷ παρόντι sc. καιρῷ, aut ἐν τούτῳ.

V. 11. *Bene factum.* Ramshorn gr. lat. §. 152. acute animadvertit, *benefactum* aliter sentiri ac bonum *factum*.

V. 15. *quid cessas?* Ad hunc fere modum Senec. Troad. V. 681. Ulysses ad ministros: "*Cessatis?* jussa ocius peragite." Itid. Plaut. Trin. III, 3, 73. Sic in comoediis saepissime.

V. 16. *Ne exspectetis*, dum etc. Hic memorand. est locus Ter. Varronis L. L. VIII. „Possunt — fieri ac reponi quod aberit, ubi patiatur natura et consuetudo, quod nonnunquam apud poetas invenimus factum." His autem, explicandi causa, addimus ex notatis: Quod deest in fabula, saepe numero expletur a grege, qualia sunt illa: *Ne exspectetis*, *dum* etc. Quae verba gregis vel catervae actorum item in Plauti comoed. Cistell. fin. exstant: „*Ne exspectetis*, spectatores, *dum illi huc* ad vos eant. Nemo exibit: omnes intus conficient negotium." Add. simil. orat. Liv. 3, 18. "*Ne exspectent*, *dum* ab Roma legati veniant" etc.

V. 17. *plaudite.* cf. Hor. Sat. 1, 1, 66. Quo eod. monente audimus: „donec cantor, *Vos plaudite*, dicat." Quod is *plaudite* dicit, spectat non tam ad comoediae auctorem, quam ad gregem histrionum, quibus actae illius gratia debeatur. Id quidem apparet ex his, quae Plauti Casinae, joco minus urbano, sunt adjecta.

EUNUCHUS.

Didascal. Eunuch. Annum quo acta fuerit Eunuch. comoedia, notat esse Farnabius, M. Valerio et C. Fannio conss. ab u. c. 593. Dissentit tamen Freinshenius, in supplement. Liv. 46, 38. anno notato 591. Nec mira haec dissensio, cum chronologiae Livianae discrepantiam biennii inter doctos esse constet. De his autem remittimus tirones ad Drakenb. Edit. Liv. tom. VII.

PROLOGUS.

V. 1. Post *bonis* subaudi, *potius*. Haec etiam graeca ellipsis est, *μᾶλλον*. vid. Lamb. Bos.

V. 4. *si quis est*. Modeste sic, ne nominet ipsum. Luscius enim Lavinius erat, in arte comica non omnino contemnendus, ac paulo senior florente Terentio. Idem est, qui adversarius Nostri notatur, in Prologo Phormionis.

V. 7. 8. *Qui bene vertendo* etc. Hoc loco Cicero fere incidit in eandem sententiam. Ait enim, se „non mirari, quosdam abhorrere a Latinis, cum inciderint in inculta quaedam et horrida, de male Graecis Latine scripta deterius." de Fin. 1, 3.

bene vertendo, scribendo male. Haec dici Erasmus existimavit pro, sonum dedit sine mente. Ego vellem interpretari: materiam integram transtulit, verborum compositionem neglexit.

V. 10. *in Thesauro*. Est et alia huius nominis comoedia, Philemonis comici *θησαυρὸς* inscripta; vid. Athen. Deipnosoph. ed. Bas. p. 191.

V. 11. *Prius unde petitur* etc. Nam *prius unde petitur*, sive reus, probabat judici, *quare aurum sit suum*, quam ille, qui petit sive accusator. Quod imperite sic inverterat ille comicus poeta.

V. 15. *Defunctus jam sum*. Notat Kaempfer ad Calpurn. eclog. 1, 89. verb. *defungi* absolute venire, pro, rem aliquam ad finem perduxisse; ubi locus noster pro exemplo adhibetur.

V. 17. *quae condonabitur.* Hanc locutionem C. Fronto animadvertit notando: „*Condonatur* illam rem."

V. 20. *Menandri Eunuchum*, h. e. *Menandri* comoediam, quae *Eunuchus* inscriberetur. Verisimile autem est, huius materiam et formam Romanum a Graeco poeta integram retinuisse.

Eunuchum. Eunuchum Popma definit esse, qui necessaria ad generandum parte deminutus sit. Plura attulimus ad hunc loc. in Edit. Terent. Addimus tamen ex Iuvenal. Sat. IV. sub finem, — „qui se *Eunuchum* ipse facit" — Si quis velit, ipse legat illic sine ambagibus loquentem.

V. 26. *ablatam.* Scilicet quam personam furto abstulerit, ut eadem uteretur, ad suam ipsius comoediam accommodata.

V. 30. *parasitus.* Quod omnino de *parasitis* aetas Romanorum serior quoque judicaverit, id vero est audiendum. Unus e multis Quinctilianus, in Declam. 296. „Quid est," inquit, „*parasitus*, nisi comes vitiorum? turpissimi cujusque facti laudator?

V. 32. *transtulisse.* Hoc fere modo Cicero de Fin. 1, 3. ait: „Locos quidem quosdam, si videbitur, *transferam* e Graecorum philosophis, Platone et Aristotele." Id sibi licitum non negat.

V. 33. *sed eas fabulas* etc. Plura de hac re, Cicero de opt. gen. or. 6. „Nec minus," inquit, „*Terentium* et Caecilium quam Menandrum legunt." Idem paulo post: „sed tamen Ennium et Pacuvium et Accium, Latinos, potius quam Euripidem et Sophoclem legunt." Contraria sane effutiebat adversarius Terentio.

fact. prius. Excusatum exemplo majorum. Verbo, non re simili Plaut. Epid. 1, 1; 31. „at jam *ante* alii *fecerunt*."

V. 33. 34. *prius Latinas scisse sese-pernegat.* Facile fieri poterat, ut Terentius comoedias illas ab Naevio ac Plauto e Graecis translatas plane ignoraret, cum verum est, inopiam tunc temporis fuisse scriptorum exemplarium.

V. 43. *Quae veteres factitarunt.* Excusatio est ab exemplo aliorum eorumque majorum. Hoc fere ita est, uti Cicero, excusandi causa, pro Coelio dicit: „multi hoc idem (Catilinae studuisse) ex omni ordine, ex omni aetate *fecerunt*." Or. p. Coel. 5.

ACTUS I. SCENA I.

V. 1. *Quid igitur* etc. Quinctilianus miratur pyrrhichios in trochaico versu. "At ille comicus," ait, „ae-

que senarius, quem trochaicum vocant, pluribus choreis, qui trochaei ab aliis dicuntur, pyrrhichius quidem decurrit, sed quantum celeritatis habet, tantum gravitatis amittit: Qŭid ĭgĭtur făciăm? moneam? ne nunc qŭidĕm?" Instit. or. IX, fin.

V. 2. *an pot. ita me comp.* Sic fere Nostrum reddit Horatius Sat. II, 3, 263. „*an potius* mediter finire dolores?" Iuvat Persium quoque in ead. re vidisse imitatorem, Sat. V, V. 566. „*Quidnam igitur faciam?* nec nunc, *cum arcessar*, et ultro supplicet, accedam?" Quamvis hi Romanorum poetae, ni Terentium, at certe Menandrum gentis Graecorum repetunt.

V. 4. *si* pro etiamsi. Hunc versum citavit Horatius, Sat. II, 3.

V. 5. *Accede ad ignem* etc. Ne cumulem exempla, unum addo, Tibull. IV, 2, 5. 6. „Illius ex oculis — Accendit geminas lampadas acer Amor."

V. 6. *Verum si incip.* Lubinus ad Pers. Sat. VI, 170. — „cave festinanti adeo et praecipiti consilio id aggrediaris, quod praestare nequeas" etc. *naviter.* Erasm. leg. *gnaviter.* Var. lect. *natus. gnatus.*

V. 9. *ilicet.* Brisson. de Form. VIII, 61. „In summa rerum desperatione dici solitum, actum est, *ilicet*, peristi." Cuiusmodi est, *me miserum*, cf. Adelph. III, 4, 40. In talibus cavebit poeta ne tragicus fiat. Nam Cicero, d. opt. gen. or. ait: „in comoedia turpe tragicum."

V. 12, 13. *neq. consil. neq. modum Hab. ullum* etc. Huic simile Liv. 28, 28. „quamquam nullum scelus rationem *habet*."

consilio regere. Grat. F. Cyn. 327. „quae sit ratio, et quo fine *regenda.*" Ibid. Burmann., hoc Terentii loco citato. Est autem *regere*, ad normam juste describere, unde regula dicta est.

V. 18. *ut cum ratione insanias.* Itid. fere Ovid. Met. XIV, 701. — „postquam *ratione* furorem (amoris) Vincere non potuit." Virg. A. XII, 668. „Furiis agitatus amor."

V. 20. *Egone illam? quae* etc. Interrupta sunt verba, quae integra non fert ardentis animi vehementia. Haec tamen poterunt, illis rebus cognitis, facile expleri. Explevit Priscianus, lib. 10, p. 555.

V. 21. *siem* pro sim. Quae forma jambico versui convenit; quam eandem alii archaice autumant esse usitatam.

V. 22. *falsa lacrimula.* Similiter Tibull. III, 6, 47. „Etsi perque suos *fallax* (puella) juravit ocellos."

V. 27. *amore ardeo.* Item affectu animi denotato, Calpurn. Ecl. III, 28. „intimus *arsi.*" Sed vim *amoris* igni ardenti notissimum est antiquitus comparari, nec minus *iram*, ut Terent. III, 2, 12. Sic alibi centies.

ACTUS I. SCENA II.

V. 4. *Tremo horreoque* etc. Ex formulis plerumque esse videntur locutiones, quae vulgares et in ore populi erant.

V. 5. *Accede ad ignem.* Sic translatum Cic. de or. II, 49. — „tantum incendium concitaras, ut ego ad restinguendum vix conarer *accedere.*" Uri se etiam Sulpicia queritur flamma amoris, Tibull. Eleg. IV, 5, 5. 6.

V. 10. Ad hunc vers. allegandus est Aristaenetus, qui Thaidem Terentianam ante se positam habuisse videtur, ep. 16, lib. II.

V. 12. *Pars aequa. aequa* pro aequalis. Grat. F. Cyn. 292. „*aequae* sortis."

pariter fieret. Tropice desumtum de equis uno eodemq. jugo conjunctis, ut pari gradu procedant. Huc refer Horatianum illud, Od. 1, 35. „Ferre jugum *pariter.*"

V. 13. *Ut aut hoc tibi doleret itid. ut mihi dolet.* His conferenda sunt Tibulli, IV, 5, 5. 6. Sulpicia ad Cerinthum: „Uror ego ante alias; juvat hoc, Cerinthe, quod uror, Si tibi de nobis mutuus ignis adest."

V. 15. *Ne crucia te, obsecro* etc. Huiusmodi dictiones in amatoriis ponuntur.

V. 16. *quo quemquam* etc. Liv. 40, 26. — „vim morbi in causa esse, *quo* serius proficiscerentur." Ubi Gronov. correxit *quod.* Contra Lambert. Bos: „*quo* eleganter ponitur pro *quod*, praesertim quando sequitur comparativus, ut, *quo* minus." Etiam nititur Lambertus nostro loco Terentii. Addimus, Ciceronem his particulis, *eo quo*, uti non secus.

V. 25. *perfluo.* Quod verbum praetulimus τῷ *perpluo* Bentleji, quia *effluet* est V. 41. Praeterea hae duae voces de multis sunt, quae solent in msptis codd. saepe permutari. Inest ceterum allegorica locutio. Comparat enim juvenem mollitie depravatum cum vase fictili, multis modis corrupto etc. Casaubon. ad Pers. Sat. III. „*effluis* amens."

V. 29. *Puellam.* Hanc cum arte inducit Poeta inde ab initio, in qua cardo vertitur totius comoediae.

V. 40. *reliquit.* Nota verb. *relinquere*, in re hereditaria usurpatum. Sueton. in Tiber. 76. Saepissime item apud Ciceronem.

V. 42. *Neq. tu uno eras contenta.* Sic Catull. 68, 135. „*uno non est contenta* Catullo."

V. 46. *interea loci.* Popma de adverb. II. 7. „Adverbia loci," inquit, „veteres cum genitivo jungunt, frequentius sane quam vulgo notum aut usitatum." Sic, "inde *loci*," dixit Ennius Annal. 1.

V. 47. *post illa*, cf. Heaut. III, 1, 38. Sic pluries apud Nostrum, pro, postea, quod est usitatius.

V. 50. *Hoc agite.* Formula est, de qua Brissonium vide.

V. 51. *aliquantum avidior.* cf. Laur. Vall. 1, 16. Comparativo jungitur *aliquantum*, quo mitigetur sensi significatio. Legunt alii *aliquantulum*, non inepte, cum consideraveris, quam modeste Thais avunculo parcat avaro.

V. 56. *imprudens*, insciens vel expers rei.

V. 66. *Primum, quod soror* etc. Quinctilianus, Inst. or. IX, 2. animadvertit, hic mimesin esse, quam Rhetores notant in dictis aliorum.

V. 67. *sola sum, habeo hic neminem* etc. Id non mirum, cum peregrina est.

V. 80. *Nisi si.* al. *Nisi.* Differre utrumque, id aegre concedo Ramshornio. vid. gram. lat. §. 190. 6. Ponebantur promiscue.

V. 85. *Aethiopia*, regio Africae, proxima Aegypto, unde Graecorum principes divitesque pueros aut puellas procurari sibi cupiebant, quibus uterentur ministris.

V. 98. *Labascit.* Reipsa itid. Virg. A. IV, 395. „Multa gemens (pius Aeneas) magnoque animum *labefactus* amore."

V. 104. *nihil moror*, seu nihil moramur. Hac formula dicendi utebantur in dimittendo senatu. Sic Iul. Capitolinus de Imp. M. Ant. Philosopho refert, non prius de curia recessisse, quam consul dixisset: „*Nihil vos moramur*, patres conscripti." Tunc idem in vita communi obvium. Etiam ap. Liv. IV, 42. *nihil moror* remittentis est accusationem ineptam. Hortensius enim tribunus pleb., qui C. Sempronio diem dixerat, ceterorum tribunorum precibus inductus, ait: „C. Sempronium *nihil moror*." Plaut. Cist. II, 3, 79. „I nunc jam istuc — *nihil moror*." Ac Pers. Sat. 1, 125. „per me — sint omnia protinus alba, *Nil moror*." Add. Plaut. Bacch. IV, 9. „*nihil moror*, neque scire volo." Ex his omnibus patefit, nihil aliud per illam formulam significari quam si dicimus: nil pertinet ad me; aut, per me licet.

V. 108. *mos gerund. est Thaidi.* Cic. de or. 1, 23. „*Gerendus est* tibi *mos* adolescentibus."

V. 111. *numquid vis aliud?* Sic it. abiturus Polymestor, in Euripid. Hecub. V. 1001. ἔτ' οὖν τι βούλει — φράζει ἐμοί. Similit. Liv. 6, 34. „*numquid* vellet." Et Tacit. An. 13, 18. — „et post breve osculum (Nero a matre) digrediens." Sic valedicebant, abituri qui essent, relictis amicis.

V. 112. *praesens absens.* Ita corpore praesens, tanquam absis. Contra in Aeschyl. fragmentt. μὴ παρὼν ἀπῇς, ne praesens absis.

V. 114. *de me cogites.* Hunc in modum Tibull. II, 4. 19. 20. „te solum candida secum *cogitet.*" Ibid. IV, 5, 10. „Si modo, quum *de me cogitat,* ille calet."

V. 118. *ex aliarum ingeniis* etc. De bonis meretricibus Thaidem esse Poeta ostendit, sicut Bacchidem, in Hecyra. Prope a Terentii consuetudine est, quod Cicero dixit, de Offic. 1, 41. „*ex* ceteris similibus *judicabimus,* quid eorum apte fiat."

V. 121. *Cordi esse quemquam* etc. Thaidem unam ex bonis meretricibus induxit Terentius; tamen meretrix est, quia non cum uno vivit.

V, 122. *Et quidquid huius feci* etc. Simili modo Cicero loquitur ad Fam. II, 4. et hoc, *quicquid* attigi, non *feci* inflammandi tui causa, sed etc. *quidquid huius.* Non alia via hoc recte dici videtur, quam qua dicimus latine, quis vestrum. *causa virginis.* Homer. I. IX, 633. εἵνεκα κούρης.

ACTUS II. SCENA I.

V. 6. *effectum dabo.* Periphrasis elegantior, pro efficiam. Huiusmodi est in Andr. IV, 2, 20. Heaut. V, 1, 77. 78.

V. 13. *insomnia,* quod gr. ἀϋπνία, si quis dormire non potest. Ergo valeat Havercamp. cum nocturnis suis visionibus. Qui nisi forte *insomniam* confundit et insomnium, quod in somnis obversatur. Amans autem *insomnis* quantopere jactatur cubili, describitur Val. Flacc. Arg. VII, 23. ubi vide. *Insomnia,* feminino nomine hic Terentii esse, certum.

V. 14. *ingratiis,* est, Popma monente, ut invitis, adverbium.

V. 16. *nimis me indulgeo.* Id est, *nimis* me mollem esse sino meique impotentem. Aliter Aristoph. Nub. 1074.

„χρῶ τῇ φύσει, σκίρτα, γέλα. Indulge genio, salta, ride.“ *me indulg.* antique, pro mihi *indulgeo,* multo frequentiori. Sed conf. Heaut. V, 2, 35, ubi vacillare libros msptos constat inter lect. *te* indulgeb. ac *tibi.*

V. 19. *homines* pro hominem, ut semel ipsum notaret. Sed quis non videt, quam grammatici dicunt, enallagen numeri? Qua de re non minus V. 20. pronom. *eundem,* sing. num. ad plural. *homines* referre debemus. Construct. ad sensum magis quam ad verba; id quod Cicero quidem vitat religiose.

V. 21. *ineptus.* In vitium *ineptiarum* Cicero de orat. II, 4. dicit, Graecos maxime solitos incidisse. Ac revera multum notatur hoc vitium in fabulis Nostri, quae mores populi illius plurimum sequuntur.

ACTUS II. SCENA II.

V. 4. *patris qui abligurierat bona.* Haud secus Apulej. Apolog. 1. „Nam patrimonium omne *abligurivit.*“ Cic. in Catil. II, 5.

V. 5. *pann. annisq. obsitum.* Ponitur *obsitum* pro, plenum. Adfert huiusmodi Turnebus: Ibat rex *obsitus aevo;* locus frugibus *obsitus.*

V. 6. *ornati* pro ornatus; sic antique Sallustius aliique scriptores. *Ornatum* autem Popma ponit in cura comendi capitis, poliendaeque et ornandae cutis etc. cum contra cultum autumat esse in vestibus, gemmis, auro, argento.

V. 7. *me amici deserunt.* Ita gr. ἔρημος φίλων, Euripid. Andromach. V. 77. Terent. Heaut. II, 4, 11.

V. 10. *Simul consilium* etc. Hoc genere loquendi usus est Liv. 31, 36. et Cic. Tusc. II, 18. Est *consil. cum re* pro, *consilium* et rem amisisti.

V. 13. *ridiculus esse, plagas pati.* Hi esse servi poterant, minime liberi homines. Quinctilian. Inst. or. XII, 9. „Nec quisquam hominum liberi sanguinis sustineat, petulans esse ad alterius arbitrium.“ *ridiculus* est, gr. γελωτοποιός, qui risum parat alteri.

V. 20. *Quicquid dicunt, laudo* etc. Pers. Sat. 1, 53. „*Laudant* convivae.“ Stringuntur ibid. parasiti seu gnathones, qui in conviviis hospitum nimii laudatores sunt. Fuisse tales etiam Persii aetate, verisimile est; cum hic solet poeta mores sui praesertim seculi gravissime vituperare. Sed et Horatium audiamus, Sat. II, 74 dicentem: „Scribet mala carmina vecors? *Laudato.*“

V. 21. *Negat quis, nego* etc Totum hoc est parasiti Plautini. Men. 1, 2. 52. P. egone? id enim quod tu vis, id

ajo, atque *nego*." Ceterum omissionem particulae, Si, h. l. pro Si *negat quis*, nemo ignorabit, qui scit eandem Horatii, in Serm. 1, 9, 54. et Ciceronis, de Offic. III, 19, 75.

V. 22. *assentari* pro assentiri; vid. Danz. ad Plaut. Mil. gr. 1, 1, 35.

V. 23. *Scitum*, cf. Phorm. 1, 2, 60. Attende, quanto aliter *scitum* in horum utroque loco accipias, quam idem vocabulum Andr. III, 2, 6. Illic est active sumendum pro homine, qui artibus suis versatissimus est atque edoctus; hic passive, de re significata.

V. 26. *Cetarii, lanii, coqui, fartores* etc. Hoc loco venit in mentem, Hor. Sat. II, 2, 26 etc. Illos Terentii versus Cicero quoque in commodum suum attulit, sed non ita, ut hic habemus. Vocem enim omisit *aucupes*, quae forsitan exciderit solito memoriter allegare. Vid. lib. de Offic. 1, 32. ibique Heusinger.

Cetarios Turnebus interpretatur, propalas; quam significationem in antiquo lexico invenisse se testatur.

V. 28. *adventum gratulantur.* Sic Plautus, ventum gaudeo. Ad hoc conf. Ter. Varr. IV, ed. Bip. pag. 21. „Quod ille dixit, qui secundo vento vectus est tranquillo mari, *Ventum gaudeo.*" Videtur *ventum* esse, pro participio praeteriti activi, ut sit pro, venisse.

ad coenam vocant, cf. Plaut. Men. V, 9, 76. „*vocat* te *ad* prandium."

V. 30. *coepit me obsecrare.* „Tantum auctoritatis criminum felicitas sumsit." Quid sibi velit Donatus cum hac adnotatione, vix scio; nisi id est, quod ille pauperculus homo persuasus tandem assentiatur gnathonis laudationibus.

V. 31. *sectari jussi.* *Sectari* proprie dicitur, ut taurus buculam, ut aries ovem, aut ex Virg. Ecl. 2, 62. „uti sequitur lupus capellam, cytisum sequitur capella — trahit sua quemque voluptas." Sic etiam sectae philosophorum sequi dicuntur auctorem.

V. 33. *Vocabula.* Haud aliter Epicureus Hor. Sat. II, 4, 2. „Ponere signa novis praeceptis." Quae vero signa sunt vel rerum σημεῖα, item imponere nomina dicunt aut *vocabula.*

V. 38. *hice.* al. *hisce*, qui Prisciano est nominativus. Conf. Drakenb. ad Liv. IX, 11.

V. 41. *Num quidnam hic, quod?* etc. Cum his compara ap. Plaut. Men. V, 9, 3. „M. Proh dii immortales, quid ego video? S. quid vides? M. speculum tuum." Sic solent interrogantes cum admiratione.

V. 43. *uro hominem.* *Urere*, dolorem afferre, dolore afficere, gr. *πονεῖν*. Anacr. 40, 15.

V. 47. *sursum deorsum.* Et hic ἀσυνδέτως gr. ἄνω, κάτω. Significatur aut, te quaquaversus omni agitatione exercebo; aut, de planis in altiora et retro agitabo; quippe cum Athenae urbs est cliviosior ac minus planata. *Ne sursum* etc. Ne servitii laboribus exercearis, ne cursibus concitatis iteratisque.

V. 49. *profect. fueras.* Congessit Heusinger ad Cic. Offic. III, 21, 4. exempla multorum, unde patet, *fuerat*, positum esse pro, erat. Notavit idem: „Nimirum *fuo* vim verbi φύω, unde natum est, in eo quoque retinuit, ut praeteritum perfectae rei *fuerat* interdum natum erat, factum erat, prodierat, erat, sonaret."

V. 56. *internuntius.* Tellerus ad Sallust. Iug. 105. „*Internuncius* Terentio," inquit, „et Plauto in utroque genere in usu est;" quare sive femina est sive mas, *internuntius* est.

V. 59. *Piraeo.* Etiam Cicero dubius est in scriptione vocis *Piraei*, non alii tantum. Tamen ipsum audiamus, ep. ad Attic. VII, 3. „Venio," inquit, „ad *Piraea*, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus Piraeea *scripserim*, non *Piraeeum* (sic enim nostri locuti sunt), quam quod *in* addiderim" etc. Verum et Terentius, quo Cicero excusaretur quodammodo, addidit praepositionem *ex*. cf. Liv. ed. Drakenb. 31, 26. Nisi forte *Piraeum* urbem vel oppidum fuisse opinamur, quod ap. Cic. VI, ad Attic. 3. negatur. Sed quod nostram dubitationem attinet, hoc cognoscitur, Ciceronem quatuor syllabis hanc vocem pronuciasse videri. Quam etiam nos amplecteremur pronunciationem vel scriptionem, nisi eandem in libris, de Offic. III, 11. variare vidissemus. Ceterum monemus, ut quae verba Ciceronis, ep. ad Attic. VII, 3. sequuntur, accipiantur, ad hunc Terentii locum pertinentia. Si quis est, cui non sufficiant, quae diximus, H. Stephanum, hac in re difficili doctissimum, legendum commendamus; de abusu Ling. gr. e. VI.

custos publice est. Solebant juvenes Atheniensium octodecim annis majores in portu Piraeo excubare, vel, ex instituto reipublicae, excubias agere. Nec defuit ibidem convivendi quibuslibet hominibus copia atque potestas.

ACTUS II. SCENA III.

V, 2. *neque ego.* Pronuntiandum, *nequ' 'go.* Sic Sophocl. τελῶ 'γώ.

V. 4. *una haec spes est.* Hoc fere id. Euripid. Hel. V. 825. μί' ἐστιν ἐλπὶς, ᾗ μόνῃ σωθεῖμεν ἄν.

spes est — ubi est — non potest. Tripla terminatio, *est,* auribus non injucunda.

V. 9. *ludum jocumq. dicas* etc. Sic dicimus, quando leve quidquam cum re graviori comparatum habemus. Itid. Liv. 28, 42. „Nae tibi, P. Corneli, quum ex alto Africam conspexeris, *ludus et jocus* fuisse Hispaniae tuae videbuntur.“ Add. Grat. Falisc. Cyneg. 525. Quae locutio cum frequentior est, in proverbium exiisse mihi videtur.

V. 20. *appareant*, sc. praestita, servata. Servanda enim sunt promissa, Cic. de Offic. III, 24.

V. 22. *Haud similis* etc. Id est, formas aliarum longe superat. Quam immoderate alius amator formam amasiae extollat, vid. Aristaenet. ep. 12. lib. I. Non ingratum erit, cum his Chaereae laudationibus contulisse Aristaenet. lib. I. epistolam 12. adolescentis puellae suae pulchritudinem super omnia tollentis.

V. 24. *habitior.* Plauti est, Epid. 1, 1, 8. „Corpulentior videre (videris) atque *habitior.*“ *deducunt.* Cui verbo *deduc.* oppositum addere est, Cic. de Offic. 1, 14. „addendo *deducendoque.*“

V. 25. *curatura.* Vox rara, quae Terentii solius invenitur. Similis est, Plaut. Bacch. 1, 1, 34. cursura, quam interpres contendit derivandam esse a *curro,* sicut Terentii a *curo. curatura.* Hanc vocem, a *curo* formatam, solum Terentium usurpasse Turnebo aliisque credentibus non assentior. Nam quod ea alibi nusquam invenitur, non sequitur, veteres ignorasse.

junceas. Haec vox literis tenuioribus contenta per se videtur ad naturam rei significatae spectare. Et *junceae* videntur esse, quod Graecis σχοινοτενεῖς. Vid. Dionys. H. de comp. verb. 14, 102. ed. Schaef. Rem quod attinet, contrarium est, *habitior,* supra V. 24.

V. 26. *figura oris. Figura* quid sit, determinatur ex adjecto *oris.* Alias *figura* requiritur in membrorum situ ac ratione. Heusing. ad Cic. de Offic. 1, 35. h. l. de partibus faciei, in qua species sit honesta.

V. 29. *mea nil refert.* Schulz et Ramshorn recte judicant prae Broedero et Zumptio, τὸ *mea* ablativum esse, non accusativum pluralis.

V. 30. *virgo cuia est?* cf. Plaut. Bacch. IV, 9, 55. „*Cuia nam* vox sonat?“

V. 37. *Nostine?* Sic in usu est indicare, quod constat. Cic. ad Fam. VII, 1. „Quid tibi ego alia narrem? *nosti* enim reliquos ludos."

V. 38. *immo.* Haec particula in usu indignationis notandae est, idque non solum hoc loco, sed et apud Livium, Cic. aliosq.

V. 45. *labiis demissis.* Credamus Popmae grammatico, *labia* inferiora esse, labra superiora, docenti.

V. 50. *abiit hora. rogo, num quid velit.* Impatiens morae est Chaerea. Omnino autem qui amat, moram aegre sustinebit. Inde Aristoph. Nub. init. in cod. Guelferbyt. adnotatum est: *Μακρὸς ὁ τοῦ πόθου χρόνος τοῖς ποθοῦσι δοκεῖ.* Et cf. Xenoph. Cyropaed. ed. Zeune, p. 67.

num quid velit. Brisson. de Form. 8, 65. Cic. Q. frat. ep. III, 1. — „*num quid vellem, rogavit.*" Id. ibid. II, 2. „*num quid* Romam velis." Hac enim formula utebantur abeuntes. Supra I, 2, 111.

V. 74. *O fortunatum* etc. Temere nascitur consilium callidissimum. Animadverte, quo modo insinuetur idem, quo peragatur.

V. 76. *una in un. aedib.* Luditur in vocibus *una, unis.* Est autem *unis* pro *unis* iisdemque, quemadmodum Liv. 2, 51. *una* nocte pro *una* eademque nocte.

V. 79. *quid tum postea?* Graece est, *εἶτα τί τοῦτο;*

V. 80. *audio.* Cupidissime excipit, *audio*, dicens. Sic *audio*, cum emphasi, Cic. ad div. 2, 7. „te *audio*, tibi obtempero."

V. 82. *cibum una capias.* Plin. epp. 3, 16. „quorum e manu *cibum capiat.*"

V. 89. *certum est*, sc. mihi. Nam dandi casus additur Plaut. Men. V, 8, 9. „cui *certum 'st.*" Andr. 1, 3, 4.

V. 97. *facias.* Modo concessivo vel permissivo. Ramsh. gr. lat. §. 166. Errant, qui in unica conjunctivi appellatione persistunt. Nam quod formae desunt, eo non desunt colores orationis latinae.

V. 98. *impero.* Cornel. Nep. Praef. ubi Paufler de voce *imperatoris*, quem vide.

V. 99. *Nunq. defugiam auctoritatem.* Ad hunc fere modum Cic. p. Sulla 11. „Itaque attende jam, Torquate, quare ego *defugiam auctoritatem* consulatus mei."

Di vertant bene. Ne absint, id quod dicere vult, Jupiter, Venus, Bacchus alii, qui dii incitent ac juvent amorem.

ACTUS III. SCENA I.

V. 10. *qui habet salem.* Cic. de or. 1, 34. „ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos, quo tanquam *sale* perspergatur omnis oratio.“

V. 11. *quod in te est.* Etiamsi non niteremur dicto Ciceronis, ultro contemneremus, quod Sanctius hic supplet, *negotium;* vid. Minerv. II, 9. Post enim, *quod in te est*, explicandum censet ille: „id est, quod negotium.“

V. 15. Hunc Terentii militem, ridiculum et gloriosum, Cicero mente sibi tenuisse videtur, nisi forte eundem Plautinum; vid. de Offic. 1, 38.

V. 16. *exspueret.* Cum irrisione stulti militis et cum fastidio dicit, *exspueret.* Nam Xenoph. Cyrop. I, 2. *Αἰσχρὸν μὲν* — inquit, *ἔστι Πέρσαις — τὸ ἀποπτύειν.*

V. 17. *Tum me convivam solum abducebat sibi.* Hoc modo Xenoph. Cyrop. VIII, 4. *ἥδετο γὰρ αὐτῷ ξυνών.*

V. 19. *Perpaucorum hominum esse.* In intima familiaritate. Thraso igitur, si interioris admissionis esset, regis ipsius similis videbatur. His consentanea sunt ex ep. Cic. ad Q. fr. 1, 1. „Atque etiam e Graecis cavendae sunt quaedam familiaritates, praeter *hominum paucorum*, si qui sunt vetere Graecia digni.“

immo nullorum. Acerbe dictum in Thrasonem, qui vix ullo homine dignus esset, nec ipse hominis quidquam haberet, praeter figuram. Ab altera parte eidem militi blandum, ut qui excluderet alios. Sensus eruitur ex opposito. Sicut enim pauci dicuntur boni, ita plures mali. Sic Ausonius, in Ludo septem sapientum: „Bias Prieneus dixit, *οἱ πλεῖστοι κακοί:* Quod est Latinum, Plures hominum sunt mali.“

V. 20. *invidere omnes mihi.* Sic stolidus ac ridiculus miles. Sed omnino vere dixit Cicero: deforme est, de se ipsum praedicare.

V. 23. *elephant. Indicis. Indicis*, recte. Hi enim, Diodoro Siculo teste, ceteris praecellunt. Ille enim Bibl. II, 42. refert suis verbis: *ἔχει δ' ἡ τῶν Ἰνδῶν χώρα πλείστους καὶ μεγίστους ἐλέφαντας ἀλκῇ τε καὶ μεγέθει πολὺ διαφέροντας.* Inde maximo pretio etiam habebatur *indicum* ebur, Virg. Aen. XII, 67.

V. 27. *Jugularas.* Sic improprie verbo *jugulare* Cicero utitur, in Verr. II, 3, 54. „His te literis, homo audacissime atque amantissime, *jugulatum* esse non sentis?“

V. 30. *Quo pacto Rhodium tetigerim.* Non ex facili erat, *Rhodios* vincere dicacitate verborum vel jocorum festivitate. Nam Cicero, postquam libros Graecos de ridiculis in-

scriptos viderat, fatetur, se invenisse ridicula et salsa multa Graecorum, nam et Siculos in eo genere, et *Rhodios* — et praeter ceteros, Atticos excelluisse, vid. de or. II, 54.

V. 33. *Rhodius adolescentulus. Rhodii* insolentes, protervi dicuntur, Homer. Il. II, 654. Proinde non minima laus erat, tales vicisse sermone.

V. 35. *homo impudens.* Contra Cicero, ad Fam. 13, 2. „*Hominem pudentem* et officiosum cognosces.“

V. 36. *Lepus tute es*, et *pulpamentum quaeris.* Omitto Erasmum in Adagiis, Bochartum adferens, qui dicit: — „Livius Andronicus, quem in Numeriano Flavius Vopiscus citat, et *Terentius*, *Eunuchi* actu tertio, Graecorum proverbium vetus, *Δασύπους ὢν κρέως ἐπιθυμεῖς*, Latine ita reddiderunt, *Tute lepus es*, et pulpamentum quaeris.“ Hierozoic. I, 3, 32. Add. Osan. Anal. crit. p. 56. Ne omitt. Martial. epigr. V, 29.

Cachinni accentus bene cadit in syllabas, *há hă hĕ́*.

V. 37. *facete.* Quid sit *facete*, vid. Cic. de or. II, 61.

V. 42. *emoriri.* Ultimam syllab. *ri* geminatam arbitramur, sive per jocum, seu cogente versu. Sic et Ovidius, Met. 14, 215. exeunte hexametro, „cupidusque *moriri.*“ Idem non semel in Plauti comoediis.

V. 43. *non injuria.* Ambigue. Quod enim miles propter formidationem sui, idem Gnatho interpretatur, ob illius stultitiam.

V. 50. *Ubi nominabit* etc. In hanc sententiam illud Horatii abit, Epod. 15, 23. „Eheu! translatos alio merebis amores: Ast ego vicissim risero.“ Ubi abs te exclusus fuerim, te, alia inventa, irridebo.

V. 52. *commissatum.* Ad variantes lectt. accedat, *commessatum*, uti Plaut. Most. 1, 4, 22. Ubi, si quis plura cupiet, Taubmannum adeat copiosiorem. Add. Liv. 3, 29. — „epulantes cum solemnib. jocis, *comissantium* modo“ etc.

V. 56. *Siquidem me amaret* etc. Modicus amor est, qui magis comicum quam tragicum exitum praeparat.

V. 57. *Quando illud*, *quod* etc. Dixerat idem, supra v. 2. 3. *non tam Dono*, *quam abs te datum esse.*

V. 63. *Idem hoc tute melius quanto invenisses*, *Thraso.* „O impudentem adulatorem, qui ita illudat deceptum. Ideo non praetermittimus, quod Cicero praecepit, cavendum esse, ne assentatoribus patefaciamus aures, neve adulari nos sinamus, in quo falli facile est;“ de Offic. 1, 26. Si, veluti post scenam, in mentione miserae adulationis commoramur, fas erit, ad alios quoque scriptores divagari, qui vetant aut

imitari aut pati adulatores. Pindari praeceptum est, Pyth. carm. II, v. 131. etc. „Γένοι' οἷος ἐσσὶ μαθών, sis qualis es.“ Qui se ab assentatoribus defensurus est, oportet uoscere semet ipsum. Inde Horat. Epist. I, 16, 19. „Sed vereor, ne cui de te plus, quam tibi credas.“ *mel. quanto.* Sic inversum, ob spondaic. vers. Colloca, *quanto melius.*

ACTUS III. SCENA II.

V. 2. *Atque eccum* etc. Multo vivacius tollitur oratio per signa exclamandi, ut sit, *Atque eccum! salve, mi Thraso!* Venustum dat adveniens principium, *mi Thraso*, militem compellando; quapropter recte admonet Erasmus, nomina propria honoris causa proferri. „Habet praeterea,“ pergit, „nescio quid peculiariter blandum proprii nominis appellatio, quo audito delectari videntur et animalia.“

Thais. Hanc militis esse significat Athenaeus, Deipn. XIII. p. 89. Θαΐς ἐραστοῦ τινος αὐτοῦ ἀλαζόνος etc.

V. 7. *Abdomini.* In mentione huius vocis gulosi homines tanguntur seu nepotes seculi sui luxuriosi. Locus est Plinii hac de re obscurissimus quidem, a Turnebo tentatus, quem praetereo.

V. 23. *Tacent; satis laudant.* Qui tacet, ni laudare, saltem consentire videtur. Cic. in Catilin. 1, 8. „cum *tacent*, clamant“ h. e. probant.

fac periculum in literis. Errat, qui servos putat literarum vulgo plane expertes fuisse. Nam Plinius libertum suum laudat *literatum* — ut commode orationes et historias et carmina legat, utque hoc solum didicisse videatur. Epp. V, 19. Etiam in familia sc. servorum Attici, ut Nepos refert, pueri erant *litteratissimi.* c. 12. Dixit, *fac peric. in lit.*, ut ostendat servum, quaestui faciendo commodissimum. Petron. Sat. 10. — „paupertatem quaestibus tentemus expellere. Et tu *literas* scis, et ego.“ Quis non Tironis illius meminerit, ex servo liberti, literis eruditissimi carissimique domino Ciceroni? Ne omittantur, quae attulimus in Phormione, 1, 2, 94. de verna Remnio, rudi quidem primo, sed postea eruditissimo.

V. 24. *in palaestra.* De usu *palaestrarum* earumq. aedificatione v. Vitruv. V, 11.

in musicis, sc. artibus. Vitruv. de architect. I, 1. „Item in organo non medicus, sed *musicus* modulabitur, ut aures suam cantionibus recipiant jucunditatem.“ I. H. Kromayer, *in musicis*, putat neutro genere positum, observatque idem, etiam Ciceronem grammaticis, *musicis* maluisse, quam gram-

matice et musice, seu grammatica et musica (arte), itaque eundem, physicorum, in physicis," in lib. de orat. et de finib. dixisse.

V. 26. *Ego illum eunuchum* etc. Aposiopesis. Reticet enim, quae cogitaverat obscoena. Rudes autem milites morumque et literarum opinione vulgari ferebantur.

vel sobrius. Sic dicit, quia qui vino stimulantur, se magis accensos sentiunt ad amorem. Adelph. III, 4, 24.

V. 29. *Neq. pugnas narrat, neque* etc. Ut hic gloriose, ita ille miles apud Liv. II, 23. vere ostendit populo *cicatrices.* Ibi respexit Drakenb. ad nostrum locum. Add. Xenoph. Mem. Socr. III, 4. — *καὶ τραύματα ὑπὸ τῶν πολεμίων τοσαῦτα ἔχων — ἐπεδείκνυεν.*

V. 30. *Ostentat.* Non, ostendit, dixit, sed *ostentat* h. e. gloriose ac vana cum laude.

V. 31. *Verum ubi molestum* etc. Alius sermo Parmenonis, alius domini, supra 1, 2, ad Thaidem.

V. 38. *E flamma* etc. Hoc illustrat schol. ad Aristoph. Nub. v. 907. Qui namque *e flamma petere cibum* dicebatur, eum *βωμολοχεύεσθαι* vulgo ferebant, h. e. impium hominem vel impurum, qui per scurrilitatem cibum qualemcunque aucuparetur, ab ipsa ara desumtum. Hoc vero audiebant parasiti.

V. 41. etc. *haud convenit, Una ire* etc. cf. Plaut. Bacch. 1, 2, 31. ubi adolescens vetatur, dum herus *cum amica* sua accubet, adesse.

V. 42. *cum amica imperatorem.* Ecce vanum hominem stultissimumque, qui falso se nomine imperatoris illusum non inique ferat. Sed praeparat Poeta ad ridiculam pugnam, infra IV, 7, 8. ubi ille *virtutem* suam *imperatoris* a suis hominibus praedicari patiatur.

cum amica. Cic. p. Coel. „semper *amicam* omnium." Ad hoc Manutius: „Contumeliose," inquit, „dictum de muliere, *amica* unius, turpiter accipitur; *amica* omnium, et semper, quanto magis? At quis dixerit non inepte, Graecos in ea re minus offendisse, quam Romanos graviores. Cuinam non nomina Aspasiae, Diotimae mente occurrunt, quibus cum amicis versari se ipse Socrates gloriabatur?

V. 49. 50. *si id non com. — si id non pot.* Sic it, graece geminatur, *εἰ δὲ μή*, pro quo in altero membro orationis, „alioquin," barbare poneretur Latinis; vid. Hoogev. Partic. L. gr. ed. Schütz.

ad me adducito. Sedulo mandat Thais Pythiae de adventu Chremetis, quem fratrem virginis esse audivit, aut audivisse putatur.

ACTUS III. SCENA III.

V. 1. *magis magisque.* Etsi notissimum hoc, ne desit tamen, exempli causa, ex Livio, 8, 39. „*magis magisque* turbatos hostes cernebant."

V. 2. *Nimirum dabit.* Inconcinne pro, *Nimirum* sentio, dare hanc Thaidem etc. Quae quidem inconcinnitas a rudi et inculto sermone Chremetis non abhorret.

V. 3. *Ita*, cf. Phorm. II, 1, 54. Hoc usu etiam Eun. IV, 4, 6. V, 9, 22.

V. 7. *rem divin. fecisse.* „*Facere* dicebantur, qui sacrificabant." Brisson.

V. 8. *erat tum suspicio.* Quod hic *suspicio* inest, id spectare autumat Heineccius ad tutores suspectos, de quibus in leg. XII. tabb. cautum fuerat: „si tutor *dolo malo* gerit" etc. Syntagm. Heinecc. lib. I. Tit. 26. Sed quaeritur, an femina Thais pro tutore ex legibus haberetur. Quod vix statui potest, cum feminae apud Romanos ipsae tenerentur tutela, eaque, nisi aliae interciderent causae, perpetua.

V. 9. *Dolo malo.* De hoc constat lex Aquilia; vid. apud Cic. de Offic. III, 14, 9. pluribus disserentem. *Dolus malus* est, ut jureconsulti quidem volunt, quo quis sciens ex industriaque utitur in alterum.

accumbere. Cic. in Verr. II, 5, 31. „sic vixit, ut muliebria quotidie convivia essent; vir *accumberet* nemo, praeter ipsum et praetextatum filium."

ipsa accumb. Mecum. Meretricis secum pudet Chremetem sedentis. Maxime vero matronae *accumbebant* inhoneste, minus meretrices. Isidorus enim, lib. 10. c. 11. „apud veteres," inquit, „non erat usus *accumbendi*, unde et considere dicebantur postea, ut Varro ait de vita populi romani: „viri discumbere coeperunt, mulieres sedere." Ex his cognoscitur, quam parum honeste feminae una cum viris *accumbere* viderentur. Nec fieri hoc poterat, quin subesset quaedam familiaritas. Addo Livium, qui lib. 28. cap. 18. coenatum refert apud Syphacem esse, et eodem etiam lecto Scipionem atque Hasdrubalem *accubuisse;* nec id sine omnium admiratione.

V. 14. *sperat a me avellere.* Catull. 62, 21. „Qui natam possis complexu *avellere* matris" etc.

ACTUS III. SCENA IV.

V. 1. *coiimus in Piraeo.* Portus *Piraeus* locus erat omnium rerum venalium oblectationumque plenissimus, ubi quicunque juvenum praesertim delicatiores ac lautiores haberentur, versari solerent frequentius. Supra II, 2, 59. Qui

plura cupiat, is e Xenophontis Symposio inter alia cognoscet relatum, Calliam coenam amicorum, inter quos etiam Socrates fuerit, ibi instituisse. Vanum est putare de *Piraeo*, urbem quoque huius nominis fuisse, non portum solum, proxime Athenas. Quemadmodum in portu, ita in porticu conveniebant homines. Plin. epp. I, 5. „*Coimus* in porticum — quum alter ad alterum tenderemus."

V. 2. *de symbolis essemus*, ederemus. Quae quidem coena inde parabatur, Graecis θίασος vel δεῖπνον συμφορητὸν appellata est. Juvat Alciphronem legisse, quam imaginem sibi fecerit voluptatum in Piraeo, ubi cymbae aliaque organa musica sonarent etc. in epist. XII.

de symbolis. Aristoteles σύμβολον appellat, quod latine est *nota*; vid. Cic. Topic. 9. Ter. Andr. 1, 1, 61.

V. 6. *Homo ipse nusquam* etc. Hic versus cum prioribus quatuor septenarius est, ultima quaque syllaba abundante.

V. 10. *Nisi.* Apodosis. Ponitur pro Sed, ut Cic. p. Rosc. Am. 35. „nescio, *nisi* hoc video." Cf. Drakenb. ad Liv. 24, 20.

ACTUS III. SCENA V.

V. 1. *hinc*, e domo Thaidis.

V. 2. *rumpere*, active, ut Virg. A. 11, 377. „*rumpit* — voces." Haud secus h. l. *rump. gaud.* pro sinere *gaudium rumpat.*

V. 4. *hoc gaudium.* Veneris scilicet. Aristaenet. epp. II, 15. τῶν ἀφροδισίων τὴν τέρψιν.

V. 5. *intervenire.* Quid. mss. addunt *video*, imperite; cf. Andr. IV, 2, 6. Adelph. I, 2, 70. Non desunt autem, qui infinitivum nullibi sustineant absolutum.

V. 5. *rogitando obtund. enic.* Sic Horat. Epod. 14, 5. „occidis saepe *rogando.*" cf. Plaut. Cist. 1, 1. fin. „aures graviter *obtundo* tuas." Molestus tibi sum eadem re.

V. 9. *Adibo.* Sic Plautus frequenter, „*Adibo* et alloquar."

V. 11. *Quid est, quod laetus sis? quid* etc. Haec singula, quae Antipho rogitat, ostendunt satis, quanta cum laetitia Chaerea exsultet ac gestiat.

V. 12. *Quid taces?* Recte ita. Nam plenissimum gaudii verba deficiunt, ut, priusquam se collegerit, in unum hoc effundatur: *o festus dies hominis!* Sententia haec videtur: Sic tu es mihi, ut festus dies, carissimus. Sed quaeritur, quid sit, *festus dies?* Equidem existimo eum, qui secundum Horat. Od. III, 8, 9. natalis significatur, qui dies est summa cum laetitia celebrandus. Hoc modo Chaerea; qui quasi renatum se sentiat, ad vitam multo feliciorem.

hominis. Adjectum quod est, *hominis*, quid sibi velit, incertum est, nec agnoscunt nonnulli libri, ob id ipsum forsitan, quia incertum erat, quid significaret. Sed id *hominis* nobis videtur positum esse δεικτικῶς, quo demonstret semetipsum. Ita mihi; aliorum explicandi operas praebui jam pridem. Restabant tamen, quae adderem. Possunt sensa Chaereae sic explicari: Mihi quidem exsultatio tanta est, ut nemo homo, nisi ille ipse, qui, ut ego, numine divino contactus fuerit, me intelligat. In hac explicatione certe conveniunt Ovidii, quae dicta sunt, Fast. 1, 72. et Aeschyl. Agam. v. 644. Secundum Tibull. II, 2. in festo die natali sanctissima dicenda sunt verba, ab omni re vulgari longe remotissima. Connectendus est hic locus ex parte cum Andr. 1, 2, 33. Atque Aeschyl. Agam. v. 644. εὔφημον ἦμαρ idem est, qui *dies festus* latine. Namque εὐφημεῖν Graecis idem valet, quod Romanis, *bona verba* dicere, lingua favere, seu, Aeschylo praeeunte, οὐ γλώσσῃ — μιαίνειν. Plura expediet Schützii commentarius, ubi vide.

V. 18. *elegans*, gr. φιλόκαλος. Eum esse, jam supra se ostendit, II, 3.

spectator, existimator, qui judicat ex norma, ad amussim.

V. 19. *ain'* pro aisne? Sic contracte etiam in vulg. consuetudine loquendi, Cic. de or. 1, 36.

V. 25. *ex ea re.* Scilicet ut locum Eunuchi obtineres.

V. 30. *ne abscedam.* Quam ridicule! Gaudet eo, quod jubetur. Solis solas tradi solitas eunuchis custodiendas, id pluribus veterum scriptorum exemplis declaratur. Sufficiat unum, Arrian. Anab. Alexandri IV, 20. — ἀποδράντα ἐλθεῖν παρὰ Δαρεῖον τὸν εὐνοῦχον τὸν φύλακα αὐτῷ τῆς γυναικός.

imperat. Quasi cogendus, qui cupidine flagrat?

V. 32. *ego — ad coen. h. eo.* Vid. supra 2. fin. Dum coenabat Thais apud militem, Chaerea rem suam peregit.

V. 34. *continuo h. adorn. ut lavet.* Facete alluditur ad nuptias futuras. Nam quae nupturae erant virgines, antea λούσασθαι s. lavari solebant. Ad hoc puer ex cognatis aquam adferebat. Pronom. *haec* pro *hae.* Pulmannus in Juvenal. Sat. VI. adnotat: „*Haec* pro hae, enallage;" cuiusmodi isdem profert exempla Terent. Andr. IV, 1. Eun. III, 5. Ph. V, 9. nec omisso hoc.

V. 36. *Suspectans.* Ob vim verbi: etiam atque etiam vel cupidine accensus. Itid. fere Virg. A. 1, 442. „Aeneas — fastigia *suspicit* urbis." Ab imo videlicet ad summum. Sic et hoc loco, ubi *tabula* putatur alte esse suspensa. Ovid. Met. 11, 506. „Suspicere inferno summum de gurgite coelum."

tabulam pictam. Desumtum ex Plaut. Men. 1, 2, 34. M. „Dic mihi, numquid tu vidisti *tabulam pictam* in pariete, ubi Venus Adoneum" etc. Etiam T. Varr. R. R. 1, 2 „*spectantes* in pariete *pictam* Italiam." Ceterum ne mireris *tabulam* illius argumenti in domo meretricis.

V. 38. *et quia consimilem* etc. Audiamus Senecam philosophum, de brevit. vitae c. 16. his verbis: „Quid aliud est, vitia nostra incendere, quam auctores illis inscribere deos et dare morbo (animi, scilicet qui non liber est cupidinibus) exemplo divinitatis, excusare licentiam?"

luserat ludum. Nomen et verbum unius ejusdemque etymi in graeca lingua non semel obvenit.

V. 39. *impendio magis anim. gaud. mihi.* Id est, cupido est mihi spectanti magis magisque accensa. Huic loco expedit conferre illum Ovid. Heroid. XVIII, 90. ut alter alteri, si quo opus sit, adferat lumen. Ovidii autem est, „Qui calet in cupido pectore, praestat amor."

V. 41. *per impluvium.* Plaut. Mil. gl. II, 2, 4. „Ita *per impluvium* intra spectant." *Impluvium* erat locus aedium, ab omni parte inclusus, sine tecto, luci ac pluviae patens. Cf. Cic. in Verr. I, 23, 61. Varr. L. L. IV, 33.

V. 42. *At quem deum! qui templa coeli* etc. Constat inter omnes, antiquiores poetas, etiam deo aliquo auctore, impie ac sceleste admissa solitos referre, ob id forsitan, ut homo inde leviorem proprii sceleris culpam haberet.

V. 43. *Ego homuncio hoc non fecerim? ego* etc. Sententia haec Chaereae haud discrepat ab Aristoph. Nub. v. 1075—1078; ubi Harles nostrum locum citat simillimum. Hunc etiam Wielandius theotisce convertit, Horat. Satir. I. tom. p. 44. quem vidisse juvabit. *ac lubens.* Partic. *ac*, crescente significatione. Ramsh. gr. l. §. 179.

V. 45. *in lect. colloc.* Scite alluditur in nuptias legitimas.

V. 47. *Cape* sc. manibus, sicut Homer. Il. χ, 328. „ἐν χερσὶ — λάβε, manibus *cape*."

ventulum facito. Ter. Varr. VII, p. 21. c. not. Bip. Ceterum cur *ventulum faceret* lavanti, refrigerandi causa, an ut muscas abigeret, haec vana disceptatio est inter doctos. Vid. Winckelmann. opp. tom. I.

dum lavam. Ter. Varr. L. L. VIII. „Omnino et *lavant* et *lavantur* dicitur separatim, recte in rebus certeis (certis), quod puerum nutrix lavat, puer a nutrice lavatur: nos in balneis et lavamus et lavamur. — In toto corpore potius utimur (verbo) *lavamur*, in partibus, *lavamus*." Hic sane usus loquendi ex Varrone solo disci videtur. Tamen pudor est la-

vantibus ac reverentia, ut Cicero ait, de Offic. I, 35. Idem paulo post: „Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non *lavantur*.“ Itaque lavacro Pamphilae, praeter feminam, vix ullus poterat interesse, nisi eunuchus minister.

V. 50. *Qui.* Var. lect. *Quis.* Praefertur illud, in admiratione, non in interrogatione.

status, „est corporis habitus, dispositio, σχῆμα.“ Popma.

asinum tantum. Quis non credat, veteres consuesse stupidum hominem contumeliose asinum compellare vel mulum? Ter. Varr. p. 309.

V. 51. *proruunt se.* Ramshorn in Gram. lat. exponit τὸ *se* esse ex abundantia. Quod nobis aliter visum. Verb. *ruere*, sic et *proruere*, activo adhibetur, Adelph. III, 2, 21. Apulej. Flor. 1. „in praedam *sese* ruat.“ Ita *proruere* in hostem, Curt. IV, 16. ubi Schellerus *se* omissum opinatur.

V. 52. *perstrepunt*, *ita ut* etc. Erasm. in Adagiis: „*domini ubi absunt* signific. *absentib.* heris ministros omnia facere indiligentius et peccare licentius.“

V. 53. *limis.* Plene Ovidius: „*limis* subrisit ocellis.“ Am. III, 1, 33. Itid. Amm. Marcellin. 20, 9. „*limibusque* oculis.“ *Limis* enim dicitur oculus et *limus.*

V. 58. *ego is essem*, *qui* etc. Eadem fere syntaxi, Liv. 36, 17. „hic *is est qui*“ etc.

V. 62. *perii.* Audiendus est Popma, qui distinguit inter *perire* ac interire. „Interire est,“ inquit, „ex quacunque causa occidere, et emori; *perire* casu vel infortunio, ut igni, fame, naufragio;“ h. l., quod omisit Popma, metu ac trepidatione. An vero haec fuerit discernendi cura Plauto, dubitamus. Incipit enim scenam nescio quam: „*Perii*, interii, occidi.“ Tamen *perire* levius esse, quam interire, ex eodem alibi liquet.

metuo fratrem, Ne etc. Haec constructio verborum, vid. Andr. III, 2, 23. Phorm. III, 2, 6.

V. 63. *rur. red.* De ablativo *rure* et ruri vid. Schulz. gr. lat. §. 25. 10.

V. 65. 66. *de istac s. quo pacto possim Potiri.* Superaddendum: ea, Pamphila scilicet. Nam barbare esset, *potiri* de aliqua re. Nisi forte quis *potiri* accipere malit absolute, ut supra II, 3, 29. et 71. *de istac* vero pro, quod attinet istanc. Hujusmodi constructionem verborum, quam interruptam dicamus, habuimus Andr. III, 2, 23. M. Fronto quidem posuit *potiri* cum infinitivo, sed non magna ejus nobis est auctoritas; v. opp. ined. II. p. 373.

ACTUS IV. SCENA I.

V. 3. *advenit.* Sic vulgo. Corrig. Bentlej. *advenerat.* Idem τὸ *Chremes* omittit, quam vocem ex interpretatione in textum irrepsisse existimat. Sed hoc praeter multa redit eo, ut ille vir magnus voces Poetae, si quae vel iteratae vel inprimis expressae fuerint, nescio qua causa, aegre patiatur.

Militem rogat etc. Dorias ancilla stabat dominae coenanti ad pedes; ideo videbat omnia, quae gererentur. Turnebus ex Seneca locum memorat, quo servus ad pedes vocetur his verbis: „Servus, qui coenanti ad pedes steterat, narrat, quae inter coenam ebrius dixisset.“ Et hoc, quod in talem servum, id etiam in Doriam cadere licet putare.

ACTUS IV. SCENA II.

V. 3. *Aliam rem ex alia.* Nec aliter Grat. Falisc. Cyn. v. 8. „et contiguas didicere ex artibus artes Proserere.“ Ibi Burmann ad Terentii hunc loc. respexit.

V. 4. *puto* pro reputo. Ramsh. gr. lat. §. 206.

V. 7. *Ubi ad ips. venio deverticulum.* Est *deverticulum*, non *diverticulum*, quod al. codd. habent. Ex Liv. 9, 17. prodit *deverticulum*, quidque significet, ubi ejus vocis adhibetur metaphora.

V. 12. *extrema lin. amare.* Turnebum adducimus explicantem: „est amare immodice; ducta translatione a curriculis, vel stadiis, in quib. prima linea cursus erat in carceribus, ultima in fine, quae et calx dicebatur, quod scilicet calce vel creta notaretur. Ultra autem calcem nihil superest, quo cursus tendatur.“ Unde hoc sciverit Turnebus nihil notat.

V. 13. *villam praetereo. Praeteriit villam*, ergo non intravit. Sic Cic. ad Attic. 10, 4. „*Praeteriit villam* meam Curio, jussitque mihi nunciari, mox se venturum.“

ACTUS IV. SCENA III.

V. 2. *Hoccine facere ausum.* Indefinita locutio verbi, quae careat personis, Latinis est aeque ac Graecis frequentissima. Sic Aristoph. Plut. 593. „τὸ γὰρ ἀντιλέγειν τολμᾶν ὑμᾶς.“ Hoc modo indignabundis abrumpi solet oratio. Supra II, 1, 19. 3, 94. III, 5, 5.

4. *capillo conscidit.* Hunc in modum Tibull. 1, 10, 53. „Sed Veneris tum bella calent; *scissosque capillos* Femina — conqueritur.“ Compositio verborum, *capillo conscidit*, fortior nobis videtur ac significantior, quam si, ut Ovidius, He-

roid. 20, 81. scindere *capillos*, dixisset. Et *ipsam*, ostendit majorem vim in corpus, quam in *capillos* puellae factam.

V. 7. *absente nobis.* De hoc impari numero diximus. Addimus hic, scriptores etiam optimae notae nonnunquam numerum formae ac rei vel personae subjacentis, per gratam negligentiam, confundere solitos. Hujusmodi Syllepsis est, quae vocatur. Cornel. Fronto habet in exemplis elocutionum: *absente*, plurali numero. Praeter citatum hunc locum, nihil amplius notat. Et grammaticae institutiones, quas inspeximus, tacent.

V. 10. Quid ist. est rei? Quod rogat, agnoscit. Sic Plaut. Men. M. Su. „Quid ego ex te audio? M. So. hoc quod res est." Formula est, quid est rei? etiam Liv. III, 50. „Quaerentibus, *quid rei esset?*"

V. 13. *temulenta es.* Nescis quid garrias, ebriosae similis mulieri.

V. 16. *res ipsa indicat.* Cic. p. Mil. 20. „*Res* loquitur, judices, *ipsa*, quae semper valet plurimum." Recte mulier, prae verecundia pudicitiaque, non audet rem et factum verbis explicare. *Res* etc. enim dicit, nihil aliud.

V. 24. *potesse* antique pro *posse* vulgari. Cuiusmodi est in Scto de Bacchanalib. scriptum, *potisit* pro possit. Etiam Plaut. Rud. Prolog. 55. — „*potesse* fieri eum divitem."

ACTUS IV. SCENA IV.

V. 1. *Exi foras, sceleste.* Non minus ferociter, Plaut. Aul. IV, 4. „*Foras, foras*, lumbrice."

V. 2. *male conciliate.* Plaut. Epid. III, 4, 36. ibid. Taubmann. not. „Bene ac pulchre *conciliare* est vili emere; contra *male conciliare*, care et magno pretio." Illustrabunt hunc locum, quae legimus apud Cic. in fragm. de rep. V, 16. „Bonus vir," inquit, „si habeat servum *fugitivum* — utrumne profitebitur, fugitivum servum — se vendere? — „Si profitebitur emtori, fugitivum esse, parvo, vel omnino non vendet." Inde Phaedria, *male conciliate*, dicit per contumeliam, quasi diceret, tu vilissime, quem nimio pretio emi.

V. 3. *os — distorsit.* Id turpe habetur recte, Cic. de Offic. 1, 26.

V. 4. *Quid.* Sic comicis usitatum, pro, propter *Quid.* Monstrose composita videntur, *Quid huc tibi reditio est?* verbi ac nominis regimine confuso. Vix aliter Plautus, Truc. II, 7, 62. „*Quid tibi* hanc, inquam, notio *est*, amicam meam?" pro, qui fit, ut noscas meam amicam? Idem in Curc. V, 2, 27.

„*Quid* istum *tibi* tactio *est?*“ Etiam Livius in hoc devium incidit, 24, 38. „Haec occulta in fraude cautio est.“ Pro quibus alii quidem legunt: „Nec occulta fraude cautio est;“ alii, „Nec occultam fraudem cautio est;“ alii denique: „ab occulta fraude cautio est.“ Cetera autem praetermittimus apud Drakenb. copiose satis discussa; ac redimus potius ad Terentium nostrum. Certe nobis visum est commodum interpretari: Unde haec tibi reditio est? Scimus enim, verbi nonnunquam casum nomini dari adjungique, quod dicunt, substantivo, uti Sallust. Jug. 108. „speculator consilia,“ pro, qui speculatur consilia; id. alibi. „aemulus facta.“ Tamen Terentianum hoc: *Quid huc tibi redit. est?* multo aequius feratur, quam quae Plauti, Livii, Sallustii modo habemus in hoc genere alieniora. Ramshorn gr. lat. §. 134.

V. 19. *Videam, quem?* Tantum valuit mutatio vestis, secundum III, 5, 61. seqq. ut nemo nunc Chaeream, excepto Antiphone familiarissimo, agnoscat. Sed Antipho mutatum contemplatus est satis diu, loquentemque audivit, ut absque negotio eum cognosceret.

V. 21. *vetus* pro senex. v. A. Popma sub voce senex. „Senes,“ inquit, „appellantur, qui ad senilem aetatem pervenerunt; *veteres*, qui superioribus temporib. vixerunt“ etc. Nonnunquam tamen veteres dicuntur senes, ut vetulum pro sene dici constat. Terent. Eun. *Hic est vetus, victus, veternosus senex.*

V. 22. *Colore mustellino.* Vid. Liberalis Metamorph. 29. δολερὰν γαλῆν. Ibid. in notis Teucheri: „Donatus ad Terent. Eun. IV, 4. γαλῆ mustela; γαλεώτης, stellio. Ambigere docti videntur, sitne γαλῆ mustela domestica, an felis etc. Plura apud Bochart. Hieroz. I, 4, 7. Cuius summa verborum haec est: „Hinc (secundum Plin. quoque) eunuchus lentiginosus a Menandro γαλεώτης h. e. stellio nuncupatus, propter faciei maculas. Quod Terentius in Eunucho perperam reddidit, *colore mustelino*, quasi a mustela dictus fuisset etc.“ Haecce Bochartus. Nos judicamus, si cum alterutro animalium illorum hic eunuchus comparari debeat, stellionem magis maculatum quam mustelam huic conferendum esse. An vero Donatus culpam ferat interpolati, in medio relinquimus. Hoc quidem certum est, non apparere, cur aberraverit Terentius a Menandro. Et cf. Plaut. Stich. III, 2. unde Taubman. ablegat lectorem ad Terent. Phorm. IV, 4, 25. 26. quippe cum mustela, uti illic, canis et anguis, occursu suo auspicium faceret. Ac vere inest, quod formidini Pythiae mulieris admixtum videatur.

V. 40. *Factum.* Respondendum erat prius, more rogantium: Detraxit. Sed comice fatetur, *Factum* dicendo, pro, Admissum scelus.

V. 43. *Mirum ni,* Terentii modo esse, Tursellinus ostendit, in lib. de Particc. cap. 136. *Mirum ni credas* etc. Quasi diceret: te ipsam servam facile credere conservo, non dubitatur. Id Phaedria acerbe in illam dicit, quae fratrem tenet suspicione sceleris.

iste, per contemtum. Hoc enim pronomine Cicero inprimis notat Catilinam, Verrem, alios. Vid. ejus oratt. in illos.

V. 53. *praedic.* Hoc *praedicem* Be. derivat a praedico, as, non a praedico, is; ut sit dactylus in trochaico versu. *Utrum tac.* Junge *utrumne,* quod per tmesin est disjunctum. Ramsh. gr. lat. §. 216. Eurip. Hecab. v. 727. etc.

V. 54. *Quod scis, nescis* etc. Hoc fere modo Plaut. Mil. gl. II, 6, 568. „quod scies, nesciveris, Nec videris, quod videris."

V. 55. *illi.* Thaidi dominae, quippe quae domi integra esse omnia putabat, infra 6, 9.

V. 57. *Thais jam aderit.* Quia nempe *Chremem* video advenientem. Ambo enim erant contumeliis affecti a milite; id quod Dorias, supra IV, 1, tanquam post scenam factum narravit.

cum abeo. Recte *abeo*, praesente tempore, non, *cum* abibam, non, *cum* abii. Nam etiam praesente Doria, *inceperat Turba.*

ACTUS IV. SCENA V.

V. 1. *At at data h. verba* etc. Quibus vult dicere: decepit me vinum, quod non cogitaveram. Cf. Plaut. Rud. II, 7, 31. ubi item bene potus: „Itaque alvum prodisperavit nobis falsis poculis." Notat Taubmann. allegato nostro loco: „hoc est, futurum, ut potaremus largius, quam alvo vitaeque nostrae conduceret."

V. 2. *accubabam.* Eun. III, 3, 9. Cic. orat. Catil. II, 5. „*Accubantes* in conviviis." Coenantes enim constat Romanos in pulvinis quiescere tricliniorum, quod *accubare* dicebatur; idem apud Graecos ἀνα — seu κατακλίνεσθαι. Hic ipse mos fuit Orientalium.

V. 6. Verbum — *sine Cerere et* etc. Quasi hoc primus Noster dixisset, memorat Minuc. Felix. Et Cicero ait, de N. D. II, 23. hunc ipsum locum significans: „ex quo illud Terentii."

Cererem causam frugum vulgo putabant. Nec latet sensus verborum, sine victu corporis libidines nullas esse. De *Cerere* in Sicilia maxime culta, vid. Cic. in Verr. IV, 48.

Liber. Est *Liber*, filius Cereris. Differt hic Bacchus ab illo, qui Semele natus dicebatur. — Nöhden ad Virg. VI, 806. locum Ciceronis attulit hunc: „Sed quod ex nobis natos *liberos* appellamus, idcirco Cerere nati nominati sunt *Liber* et Libera," (sive Proserpina.) Graece ambo *Κόρος* et *Κόρη* vocati.

ACTUS IV. SCENA VI.

V. 1. *jam.* Rhenanus ad Liv. II, 10. „*jam* plus hostium in Palatio — fore," monet, Comicorum, etiam nostro adlato, esse, per *jam* futuro junctum indicare celeritatem.

V. 3. *magnifica verba.* Magnum seu magnificum verbum, ἔπος μέγα, superbum.

V. 6. *propt. te.* Priscianus citat haec verba, *te propter*, sive memoriter, seu in libro quodam sic inversa.

V. 11. *repeto*, pro peto contra, vicissim.

V. 12. *habetur et refertur — gratia.* Itid. Cic. de Offic. II, 20. Locutio notissima. Addimus tamen Cic. ad Div. V, 11. „nec enim tu mihi *habuisti* modo gratiam, verum etiam cumulatissime *retulisti.*" Ceterum *habere* et *referre gratiam*, hoc utrumque quid intersit, credimus etiam tirones non ignorare.

V. 13. *ne prius, quam — accipias, amittas.* Hoc dicit, quia Thraso cupit eripere. Tum amitteret Chremes priusquam accepisset sororem.

V. 15. *cistell.* cum *monumentis.* Plaut. Cist. IV, 1, 3. „haec quod *cistella* hic jacet Cum crepundiis?" Insunt ibi crepundia parvulorum vel monumentorum, quibus isti, et quidem expositi agnoscantur. Ac paulo post, v. 12. 13. „crepundia Haec sunt, quibuscum tu extulisti nostram filiolam" etc. Quae verba nobis sunto instar commentarii. Ceterum operae pretium est, Longi Pastoral. lib. IV. quae aut ficta aut facta sunt, de monumentis referre inventis, quibus parentes laetissimi sobolem suam agnoscant. Verba ipsa sunt: Ἐδόκει μὴ μαντεύεσθαι ἐπιπλέον, ἀλλὰ ἤδη τὰ γνωρίσματα σκοπεῖν, εἰ λαμπρᾶς καὶ ἐνδοξοτέρας τύχης etc. Quae Latine sic sonant: „Placuit non ulterius conjecturis inhaerere, sed ipsa inspicere *monumenta*, num illa splendidioris insigniorisq. fortunae essent." Abiit Myrtale, cuncta allatura, quae vetusta in pera asservabantur. Tunc sequuntur, quae fuerint ista monumenta. Postremo parentes hisce visis edocti exclamant: „Nostra haec proles, tuus filius etc.!" Haecce ab Longo descripta non depromerem, nisi ea ad locum Terentii illustran-

dum maxime pertinere viderentur. Longum autem scriptores graeci romanique populi ad imitandum sibi proposuisse, sentiet facile, qui legit ipsum.

effer. Sic Virg. Buc. 8, 64. „*Effer* aquam" etc.

V. 16. *Viden'* pro Videsne. Sic in metri commodum, Tibull. II, 1, 25.

risc. Donatus *riscum*, pro cista pelle contecta, tradit esse nomen Phrygium.

V. 23. *quod cavere possis, stultum admittere est.* Platonicum est, ὥςπερ νήπιον παθόντα γνῶναι, accepta injuria stultorum more sapere.

V. 26. *adesse.* Plin. Paneg. 80. „*adesse* et assistere."

V. 29. *signa ostende.* Plaut. Men. V, 9, 65. „*Signa* agnovi."

V. 31. *animo praesenti.* Ut se colligat, monet Thais. Novit enim sui impotentem, qui nihil facit, nisi quod ipsa praemonuit. Id inprimis cognoscitur ex hac scena. Nam quod ille mulieris hortatu jubetur, id eum facere videmus scena sequenti.

attolle pallium. Genus veterum indumenti, quo sublato opus erat, ut expeditior esset Chremes ad rem praeceptam. Ceterum unde conficerent pallium, aut quo vario more uterentur, de his omnibus vid. Plaut. non uno loco.

faciam. Chremes prae timiditate animi aut inopia consilii facit multo minus quam decet eum, immo oportet. Nam ex lege Atheniensium fratri, mortuo patre, jus erat despondendi sororem cui vellet, uxorem. Vid. Sluiter. Andocid. p. 80. 81. Quae lex ipsa exstat apud Demost. in Steph. scripta.

V. 32. *Perii! huic ipsi* etc. Satis acerbe dictum in virum a muliere.

ACTUS IV. SCENA VII.

V. 4. *Male mulcabo.* Itid. Phaedr. fab. 1, 3. Graculus superbus, v. 9. „*Male mulcatus.*" Omnino autem, si quis violentiam corpori suo quovis modo nec injuste illatam patitur, dicunt eum vulgo *mulcari.* Hanc vim huius verbi esse, exemplis probatur: Cic. in Verr. II, 4. — „vigiles *male mulcati* clavis ac fustibus repelluntur." Liv. III, 11. In rixis patriciorum ac plebis: „Hoc duce (Kaesone) — pulsi foro tribuni — qui obvius fuerat, *mulcatus* nudatusque abibat."

ipsam. Miles, *ipsam*, dicit, ergo mulierem, non virum. Eo turpius. Ostenditur Thrasonis ignavia atque rusticitas.

V. 5. *dexterum.* In fine jambici versus, *dextĕrum*, penultima correpta; alias *dēxtrum*, per trochaeum.

V. 6. *manipul. fur.* Servos olim dictos esse *fures*, ex Nonio discimus, lib. IV.

V. 7. *peniculo.* Explic. Festus: *peniculi (peniculus* sing. num.) quis (quibus) calceamenta terguntur, quod e codis (caudis) extremis faciebant antiqui etc. H. l. ad tergenda vel exsiccanda, quae forte acciderint, vulnera. Ridiculum. Nam ubi non sanguis profunditur, ibi non opus erit peniculo.

V. 10. *Ubi alii?* Sic vane rogat ridiculus, quasi ipse non sciat, nullos suos amplius domi restare, nisi unum. Dein dilucide significatur, dominum tota agmina sua, quae domi habeat, servorum, praeter Sannionem, foras secum duxisse.

V. 14. *consilium.* Recte *consilium* primo imperatoris; deinde ipse ad exsequendum aggreditur. Camillus ille imperator Romanor. socium imperii *consiliique* sibi assumit P. Valerium, collegam. Liv. 6, 6. Ad illum magnum, quam Thraso pusillus!

V. 17. *facerent fugam.* Apud Sallust. nescio quo loco hoc est, ut, qui fugam facerent, fugerent ipsi. Contra ex Livii usu, *facere fugam* valet ut fugare alios. Quodsi promiscuus est usus huius dictionis, tunc recte utitur comicus eodem. Nam in ambiguo res est ridicula ac jucunda auditoribus.

V. 19. *Omnia — experiri.* Abiit in proverbium, quod, verbis nonnunquam mutatis, invenimus, vel ultima *experiri*, vel *omnia* tentare dicentium; cf. Liv., Grat. Falisc. al.

quam arma. Quam ridiculus miles, qui ipse timet *arma*. Nec minus comice, stultissimum hominem sapientiam praeponere ceteris omnibus.

V. 21. Allegat hunc locum Symmachus in epist. IX, 84. his verbis: „*Nunquam* te adeo, *quin abs te doctior abeam.*" Sed ille unde, „te adeo," legerit, equidem scire velim. Credo memoriter haec attulisse.

V. 24. *quae mihi ante oculos coram amatorem adduxisti tuum.* Plaut. Rud. IV, 4, 3. „Quae me pellices *adduxe* (adduxisse) dicet *ante oculos* suos." Abundat *coram*, a persona militis quidem inculti non alienum. Vid. ad III, 2, 26.

V. 25. *te subduxti mihi.* Petron. Sat. 9. „*Subduxisti te*, inquam, a praeceptoris colloquio." Verbo *subduc.* sicut *adducere.* v. 24. etiam Terentius utitur aliis locis.

V. 27. *aut tu eam tangas.* Sic fere item Aeschylus, Supplic. (v. 848.), ubi rex Pelasgus ad praeconem, Danaidas ab-

ductúrum, dicit: „*κλαίοις ἂν, εἰ ψαύσειας*, plorabis, si tetigeris.“

V. 33. *caput tuum.* Al. leg. *tibi* pro *tuum.* Praefero *tuum*, quod quo minus elegans sit, eo magis conveniat inculto Chremetis sermoni. Supra III, 3, 1. Plaut. Men. II, 2, 30. „illi quî homini *diminuam caput.*“ Itid. V, 2, 103. Non mira est in ingenuo homine iracundia, cum apud Horat. Od. III, 27, 45. etc. Europa ipsa virgo sanctissima iram suam evomit similiter. Quidni magis idem erit Chremeti in certamine pugnantium ardentissimo condonandum?

V. 35. *eam esse liberam* etc. Vide quam admiratio cum indignatione per voculas *hem*, *hui*, *os durum*, augescat. De re ipsa Heineccius docet, hoc loco Terentii actiones, quas Icti praejudiciales dicant, inesse, ubi prima actio ex statu *libertatis*, altera ex statu *civitatis*, tertia de statu familiae. Syntagm. antiq. rom. jurispr. illustr. lib. IV. Tit. 6. Quamvis persuasum nobis habemus, hanc tripartitam divisionem Ictorum Poetae nostro nunquam in mentem venisse.

V. 36. *Meam sororem.* Quam gravia verba liberi Atheniensis! In memoriam vocantur Plautina: „Libera haec est, hic huius frater est“ etc. Curc. V, 3, 38.

os durum. Per metaphoram, pro impudenti homine, sicut infra V, 1, 22. Planius hoc idem Plaut. Mil. gl. II, 2, 33. *Os* habet linguam, perfidiam etc. Itid. Cic. Verr. I, 5, 10. „Si Appii *os* haberem,“ h. e. si essem ea, qua Appius, impudentia.

V. 39. *furti se adligat.* De hoc, quid sit, attulimus expositiones variorum. Quae tamen non ita sufficiunt, quin addamus ex Isidoro: „Testes sunt, a quibus quaeritur veritas in judicio: quos quisque ante judicium sibi placitis *alligat*, ne cui sit postea liberum, aut dissimulare, aut substrahere se: et *alligati* appellantur.“

V. 42. *novi ingen. mul.* Calpurn. III, 10. „Mobilior ventis, o femina!“

V. 43. *Nolunt, ubi* etc. Ingenia hominum notantur, vage labentium, ut mulierum praecipue, sic et, quod constat, artificum hodieque et olim. Cic. de or. 1, 57. „*Noluit*, inquiunt, hodie agere Roscius.“

V. 44. 45. *ita ut fortes decet, Milites* etc. Haec formula, qua usi duces ad dimicandum milites hortari solebant, comicum usum accepit. Omnino autem Poeta in persona militis servanda consuetudinem linguae, cui inculti milites indulgerent, non omisit.

domi focique fac viciss. ut memin. Per antiphrasin: Ut ad quietem redeatis atque culinam.

ACTUS V. SCENA I.

V. 4. *conscissa veste.* Huic simillimus locus Tibulli, I, 10, 57 — 61. „At lascivus amor etc. Sit satis e membris tenuem *praescindere vestem.*"

V. 8. *ephebus*, imberbis. Quos gradus juvenilis aetatis (τῆς ἥβης) Graeci observarint, vid. Dionys. Arch. II, 26. Hic intelligimus notatum esse ab anno aetatis XIV.

V. 17. *quid — hominis est?* Cum honore et contemtu. Cic. in Verr. II, 2, 54. — „exponam vobis breviter, *quid hominis sit.*" Qui non plane ignari sunt linguae latinae, scient, locutiones, *quid hominis*, et, qui homo, satis differre.

V. 21. *Quid illo faciemus?* Non miramur pronom. *illo*, in casu ablativo; etsi pronom. *mihi* in dativo habemus cum eod. verbo *facere*, cf. 2, 10. Sensus utriusque phrasis etiam ex Ciceronis usu non idem. Idque efficit, ut h. l. vulgatam lection. *illi* relinquamus. Thais hic curat, quid de Chaerea sibi faciendum; illic Chaerea timet, quid immineat sibi ab illa.

ACTUS V. SCENA II.

V. 5. *in pedes* sc. conjicio. Pleniore phrasi Plautus utitur, conjicere se *in pedes.* Terentianae ellipsis propinqua Virg. B. 9. „Quo te, Moere, *pedes?*" sc. ducunt.

V, 10. *quid m. autem?* Particula *autem* utuntur indignantes. Sic Adelph. II, 1, 31. Et Cic. ad Attic. 6, 2. — „hoc molestissimum est, Statium dicere, a me quoque id consilium probari; probari *autem?* de isto hactenus." Post *autem?* reticet, quae propter indignationem supprimuntur.

V. 12. *Aufugistine?* Dixerat enim Pythias Thaidi, *Dorum abiisse*, supra IV, 4, 56.

Sat. id tibi placet? Elegans usus huius verbi in expostulationibus.

V. 13. *un. h. noxiam.* Huic consentaneum est, quod Burmann. notavit ad Gratii F. Cyneg. v. 312. *noxiam* esse, perniciosam indulgentiam, ac sumi substantive pro damno, vitio, labe. Aliter Heineccius in Syntagm. lib. IV. tit. 8. *noxiam* scribit esse delictum, quod quis commiserit, et quod ex hoc Eunuchi loco autumat probari.

V. 14. *si aliam, etc. occidito.* Pro servitio digne dictum; item Andr. V, 2, 22. Etiam vestitum famularem nondum mutavit.

V. 20. 21. *invol. in Capillum.* More Graecorum, qui

Homer. Il. *β*. 323. κάρη κομόωντες Ἀχαιοὶ, coma longa ornati dicuntur.

V. 25. *te*, libero homine.

V. 26. *nam etsi ego digna hac contumelia.* Confessio haec est Thaidis meretricis, quae Bacchidis eadem, Hec. V, 1, 8—9. Qua de re Thais et Bacchis inter bonas meretrices, quas comici poetae induxerunt, merito ponuntur. Atque si in Prologo Eunuchi objectum memoratur a criminatore, ceteros poetas consuevisse *malas meretrices* inducere in scenam, Terentio laudi id merito habebitur, quod introduceret bonas.

ego digna. cf. III, 1, 91. 92.

V. 42. *Neq. ita imperita* etc. Quis hoc non credat meretrici?

V. 53. *nutricem arcessitum iit* etc. Nutrix arcessitur, ut Pamphilam Chremetis sororem recognoscat. Sic Liv. 3, 48. Virginius petit ab Appio, ut sinat — coram virgine *nutricem* percontari, quid hoc rei sit? Nam Virginio hanc natam esse, artificiose negatur.

V. 60. *Dabit hic pugnam.* Grat. Falisc. v. 155. de canibus: „Magna indocilis *dat proelia* Medus.“ Ibi Burmannus: „Qui *pugnam*, proelium dat, negotium, molestiam exhibere intelligitur adversario.“

ACTUS V. SCENA III.

V. 3. *supposuit.* Cic. Verr. II, 5, 29. — „ne quis abs te *suppositum* esse diceret, qui pro archipirata securi feriretur.“

V. 5. *signa.* Notae, gr. γνωρίσματα, h. e. *signa* infantibus exponendis adpensa. Alciphr. ep. III, 63. Supra IV, 6, 15.

V. 10. *vide ut otios. sit.* Partic. *ut*, uti, pro quemadmodum vel gr. ὡς cum conjunctivo modo orationis. Virg. A. I, 470. 471. — „videbat *uti* — fugerent Graji.“ Et sic alias.

ACTUS V. SCENA IV.

V. 1. *quidnam — rerum.* Recte *rerum*, non rei. Parmeno vult revisere, quomodo Chaerea res suas fecerit; cf. II, 3.

hic, in domo Thaidis.

V. 5. *a meretrice avara.* *Avarae* fere ubique dicuntur esse meretrices, etsi minus Thais. Tibull. III, 1, 7. — „pretio capiuntur *avarae*.“

V. 6. *eum confeci.* Ne quis miretur, *τὸ eum* repeti, ad *amorem* conferendum, v. 4. Etiam Cicero p. Mur. 41. posuit,

eam imaginem, mox deinde, eandem etc. quo expressius τὸ *eam* significaret.

V. 14. *quae cum amatore cum coenant, ligurriunt.* Juvat Lucianum legisse, Terentianum hoc in usum suum diffusius explicantem, in Dialog. meretric. Ib. enim Crobyla meretrix dicit ad Corinnam filiam: „ἢν δέ ποτε καὶ ἀπέλθῃ ἐπὶ δεῖπνον λαβοῦσα μίσθωμα, οὔτε μεθύσκεται, (καταγέλαστον γὰρ, καὶ μισοῦσιν οἱ ἄνδρες τὰς τοιαύτας) οὔτε — ἀλλὰ προσάπτεται μὲν ἄκροις τοῖς δακτύλοις etc. Si quando autem mercede conducta eat in convivium, nec inebriatur, (derisui enim illud opportunum, et oderunt viri tales) neque cibis, tanquam insueta bonarum rerum, se ingurgitat; sed extremis modo digitis attingit" etc. Post has explanationes, verbi *ligurrire* praesertim, vix possum intelligere, cur Bentlejo hic versus, quem uncis inclusit, spurius esse videatur, nisi Manutiana illius verbi ad Cic. p. Coel. 18. captus fuerit interpretatione. Verb. *ligurire* derivandum est ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ, quod suave est. Secund. Horat. Sat. I, 3, 80. 81. absorbere vel degustare summum jus, id est partem ejus pinguiorem dulcioremve.

V. 15. *sordes.* Panem sordidum intelligi putant interpretes, qui jusculo superfuso soleat praeberi, secund. Scholiasten ad Juvenal. Sat. 5. Cuius modi etiam panis ater v. 17. esse dicatur.

V. 17. *ex jure hest. panem atrum vorent.* Constat, inter Graecos jus ex cavato pane pauperibus sorbillari solitum, quod μιστυλλᾶσθαι dicebatur.

V. 20. *Ulciscar ut ne — illuseris.* Perfect. conjunctivi post praesens temp. non quasi si quid factum sit, sed ut quid ne consequatur. Vid. Seyfert. gram. lat. ed. 2. p. 310.

V. 26. *in quem.* Prisciano interprete pro, in quo. Dubito an recte. Nam primo est *in* pro adversus, deinde accusativus casus frequentior; cf. infra V, 6, 21.

V. 32. *frater violentissim.* Est *violentiss.* non mire, quia ipse frater est violatae Chremes. Idem defendit sororem a milite, cf. IV, 7.

V. 33. *Quidnam* etc. Perterrefactus interrumpit sermonem Pythiae cupidissime rogans, *Quidnam fecit?*

V. 35. *id quod moechis solet.* Quam periculosa maneant moechos, vid. Hor. Sat. I, 2, 38. etc. *id quod moechis solet.* Haec obiter tantum, ne mulier dicat, quod revera est. Itid. Minuc. Fel. 21, 11. Cybelem pudet dicere, quae adulterum — exsecuit, ut faceret eunuchum. Aliae moechorum poenae adferuntur Valer. Max. VI, 1, 13. Talium enim imagine Pythias terrificat Parmenonem ultura.

V. 38. *pro moecho in domo meretricia Prehendi quemquam.* Parmeno, juris peritior quam Pythias, recte sic respondet ad falsam illius criminationem. Etsi de domo meretricia sermo est, tamen de adulteriis coercendis lex Julia nota est gravissima.

V. 39. *Preh. quemq.* Aelianus fabulatur, lib. *Ιά*, *κεφ.* ς́ deprehensum in adulterio quemquam vinctis manib. actum esse per forum.

V. 48. *rem — ut factum sit.* Minime est — *rem* — *factum* etc. ad amussim grammatices. Non magis Heaut. V, 1, 3. — „*rerum, quae dicta*" etc. et Adelph. III, 4, 32. „*pro certo — istaec.*" Sed ipse Cicero, observantissimus grammaticae, ita sibi indulsit, ut diceret, „Posthac omnia, quae certa non erunt, pro certo negato." Add. Liv. I, 3. „*rem* — pro certo adfirm." Satis ea sunt documento, qua cura opus sit in scriptoribus huius notae emendandis. Absit ergo pruritus corrigendi, *rem — factum*, ut prodeat *rem* — ut facta sit.

ACTUS V. SCENA V.

V. 1. *Ex meo propinquo* etc. Suburbana praedia non longe ab urbe esse, laudant Plinius et Columella de r. r. I, 1.

V. 5. *Quem praestolare.* Plautina syntax. Trucul. II, 3, 15. *Quem praestolata est.* Cicero utitur dativo casu. Quamvis Priscianus dicit conjungi: „praestolor *te* et *tibi.*"

V. 6. *salvum te advenisse gaudeo.* Formula videtur esse, qua utuntur gratulantes adventum alicuius. Hac ead. Cic. Fam. 14, 12. „Quod nos in Italiam *salvos venisse gaudes.*" Cf. Plaut. Bacch. III, 3, 52.

V. 8. *satin' salve?* Vid. Brisson. VIII, 65. Familiarium interrogationum formulae, „Quid agis? *Satisne salve?* Rectene omnia? Numquid vis? Quid rei est? Quid venis?" Quae vero omnes obveniunt in vita communi, itaque in comoediis.

V. 16. *quid meretrix sit.* De meretricibus videantur inter alios, Athenaeus, Lucianus, Alciphron, Aristaenetus.

V. 17. *in astu venit.* Plutarch. in Thes. 23, 3. τὸ ἄστυ τήν τε πόλιν Ἀθήνας προσηγόρευσε. Sunt qui putent, Ἄστυ nomen inferiori urbis parti fuisse, ubi sub veris initium ludi solemnes et comicorum et tragicorum editi fuerint ac celebrati. His adjiciamus, quae sunt Heaut. I, 1, 110. de *Dionysiis* commemorata.

aliud ex alio malum. Nullum infortunium solum. Francogalli dicunt: „Un mal attire l'autre." Expressius idem

verbum graece Euripid. Hecab. v. 686. ἕτερα δ' ἀφ' ἑτέρων κακὰ κακῶν κυρεῖ.

V. 18. *ne me spectes.* Hoc non diceret servus, nisi dominus eum oculis minantibus fixisset. Hoc fere modo Gratius Falisc. Cyn. v. 330. „*hunc spectet*," sc. canis venatorem. Et Ovid. Amor. IV, 17. „*Me specta*, nutusque meos, vultumq. loquacem."

V. 22. 23. *hunc pro moecho Compreh.* etc. Gravius sane animadvertebatur in illos, Xenoph. Mem. Socrat. II, 1. „κίνδυνος τῷ μοιχεύοντι, ἅ τε ὁ νόμος ἀπειλεῖ — παθεῖν —

V. 27. *malum.* Scilicet serviles poenae, plagae et dolores varii generis, quibus servi afficiuntur. Ut ipsa *mala* addam servitii, quae Lucretius enumerat uno hoc versu: „Verbera, carnifices, robur, pix, lamina tedae."

V. 28. *necessus.* Hoc insolens verb., quod a Donato olim receperam, nunc permuto cum *necesse* vulgato. Etiam aptius erat *necessum*, quam *necessus*, genere masculino.

ACTUS V. SCENA VI.

V. 17. *scelus.* Improbissima est compellatio. Superatur autem a Plautina, Bacch. IV, 7, 31. „dic, *scelerum* caput!"

V. 20. *nobilitas.* Utuntur verbo *nobilitare* in malam partem. Proprie diceretur, infamas, ut Quinctilian. Decl. 19. „pueritiam miseri juvenis infamas." Ac nulla nisi haec significatio patet ex antecedente verbo *pendebis*. De hoc repetimus Turnebum explicantem sic: non tam est metuens lora, quibus caedi servi solebant, quam metuens vincula, quibus ad trabem alligati caedi *pendentes* solebant.

V. 21. *et eund. indic.* Alterum urget flagitium Parmenonis, miserum indicasse patri, cf. supra v. 13.

uterque in te exempla edent. Sic fere iisdem verbis Liv. 29, 27. „dii deaeque Scipioni populoq. romano *in* civitatem Carthaginiensium *exempla edant* rogantur." Idem, 38, 43. „questi (Ambracenses) obsessos et oppugnatos se, et omnia *exempla* belli *edita in se*" etc. Pro certo igitur usum huius locutionis habemus.

ACTUS V. SCENA VII.

V. 2. *Egone? ut Thaidi* etc. Si quis forte ultra Terentium excedere cupiat, huic commendandus est Luciani dialogus XIII. de meretricib., quem is ad hanc Terentii scenam finxisse sibi formavisseque videtur.

V. 4. *Hercules servivit Omphalae.* Foedissima Thrasonis gloriatio, qua eum aeque foedus confirmat adulator. Huc autem refer Macrobium, Saturnal. VII, 3. de scommatibus disserentem, quae sub specie laudis exagitant etc. Nam si timidissimo (homini) dixero: Achilli vel Herculi comparandus es — sine dubio verba laudem sonantia ad notam vituperationis suae — tracturus est. Non ita Thraso, qui huiusmodi scomma non pro morsu, sed pro laude excipit stultissime. Quapropter, quod nunc mihi persuasum est, verba, *Utinam tibi commitigari* etc. non ita, ut nuper putaram, ad ipsum Thrasonem dicenda sunt magis, quam ad spectatores.

V. 12. *Illuc est sapere.* De verbo *sapere* ambigit parasitus. Notus est versus memorialis: „Gustat lingua cibum, qui bene cumque *sapit.*"

ACTUS V. SCENA VIII.

V. 1. *ecquis;* vid. Ramsh. gr. lat. §. 160. Hoc pronom. non tam rogandi, quam admirandi causa ponitur.

V. 2. *Nemo — quisquam.* Popma de parelcis: „Interdum voces quaed. in oratione abundant, ut homo, mulier, nemo etc. quae elegantiae tantum causa non necessario ponuntur." Quibus vocibus adnumeranda erit, quam hic habemus, *quisquam.*

V. 5. *Invent. perf. incept.* Drakenb. ad Liv. II, 41. „auctorem ejus supplicii," mavult actorem legi; quem locum opinans nostro esse comparandum. Idem adfert ex Cic. p. Sext. 28. „ducem, auctorem, actorem rerum."

V. 8. *in tranquillo.* Ellipsis notissima, sc. mari. Per metaphoram. At Cicero proprio sensu, de Offic. I, 24.

V. 14. *Sine dubio.* Re dubia, adulatores amicum deserunt; sic Gnatho Thrasonem.

quid commemorem etc. In canticum incidit Chaerea felicitatis suae perceptae.

V. 22. *omni fautrix familiae.* Nomen *fautrix* eodem casu gaudet, quo verbum suum, unde derivatur. Hac ratione Cic. de Legg. I, 17. „Quodsi justa est obtemperatio scriptis legibus institutisque populorum." Quemadmodum vero verb. obtemperare, sic et *favere* in usu est tertii casus.

V. 29. *Te praesente absente.* Conjunctio vocum facta ἀσυνδετῶς, Nostro familiaris, ut Adelph. V, 9, 33. *justa injusta.* Ph. III, 3, 23. *bona mala.* Itid. Liv. I, 24. *prima postrema*, absque partic. et. H. l. significatur: sive praesens sis, sive absens. Add. Heaut. IV, 1, 30. *Melius pejus.*

V. 34. *quod dic. mihi*, pro, quicquid est, *quod dicas mihi.* Si forte dixeris: *Alium quaerebam.* Vid. Ramsh. gr. lat. §. 181.

V. 40. *Me huius* etc. Ellipsin olim putabam, rei; nunc subaudio, Thrasonis. Thrasonis enim causa facit, *maxime* sua.

V. 41. *inscitia* i. q. stultitia, cf. Cic. de Offic. I, 34. ubi Heusing.

V. 42. *milit. ego rivalem recipiend. censeo.* In hoc pauci offenderunt, quod esset quocunque homine honesto, ne dicam civibus Atticis indignissimum. Sed cave, quisquis es severissime judex, ne non sapias *Atticam elegantiam*, qua Gnatho militem *deridendum* illis patronis propinet. Res autem ridiculi militis levior erat, quam quae haberetur pro graviori. Insuper scimus ex Andr. II, I, 16. quo contemtu dominus servi repulit propositionem futuri rivalis. Ceterum clauditur comoedia milite glorioso maximeque deridendo.

V. 52. *Accipit*, Pascit. Laur. Val.

V. 57. *deridend. vobis propino.* Per jocum in convivio, ubi derideatur quasi propinandus convivis bibentibus. Copiosus fui hac de re in Editione Terentii, quam vide. Adde tamen ad rei majorem illustrationem de Alciphronis Gnathone, eoque de profusis in parasitos amicasque facultatibus jocante atque jactante, ep. III, 34. Ne omittam Cic. in Verr. 1, 2, 26. „ut Graeco more biberetur.“ Quod exposuit Manutius his: „Ad singulas potiones diis et amicis, quos quisque vellet, nominatis.“

V. 60. *Et conlaudavi* etc. Est praeceptum Isocratis, in or. ad Daem. „*Μίσει τοὺς κολακεύοντας, ὥσπερ τοὺς ἐξαπατῶντας.*“

V. 64. *vos valete et plaudite.* Amplioribus verbis Plautus utitur in eadem formula, Menaechm. fin. „Nunc spectatores *valete* et nobis clare *plaudite.*“ Omnino autem hic poeta liberius locutus est expressiusque et plenius, Terentius vero modeste honesteque, ut qui inter homines versaretur splendidioris conditionis ac delicatos. Quod quia verum est, non veremur, ne supra modum dicamus.

HEAUTONTIMORUMENOS.

PROLOGUS.

V. 8. 9. *Et cuia* etc. *in Existim.* Hoc dixit, ut gratiam iniret spectatorum, quos maxima ex parte Graecarum literarum existimet peritissimos.

V. 21. *Licere id facere.* Nempe ex Graecis multis facere paucas Latinas fabulas. Omnino Romani factitabant e Graecis fabulas, factas amabant. Nam Cicero ait: „Multi fabellas Latinas, ad verbum de Graecis expressas non inviti legunt;" de Fin. 1, 4.

V. 22. *malevolus*, invidiosus. Macrob. Sat. II, 2. Terentium vero invidiosos sibi habuisse, eosdemque malos poetas, quis negabit? Qui cum criminabantur, necesse erat eum prodire contra eos, per Prologum causam suam agendo.

V. 23. *ad studium — musicum.* Vitruvius vult, architectum quoque musicum esse, non amuson, lib. I. c. 1. Nisi me omnia fallunt, Vitruvius postulat, ut rationes mensurarum ab architecto cognoscantur. Sed prope accedere illam arti poetae putamus *μουσικὴν*, quam ad Juliani Caess. interpres exposuit esse artem canendi. Operae autem pretium est, id ipsum, quod explicuit ille, legisse: „Omnes," inquit, „artem canendi intelligunt, cum latius pateat vox *μουσικὴ*, atque omnem prope liberalem doctrinam comprehendat, poeticen certe, cuius Trajanum studiosissimum fuisse constat." Quam vero musicam artem numeris praecipue constare, veteres voluerunt.

V. 29. *Novarum — spectandi.* Sic gerundio cum plurali nomine Cicero utitur non unus. Super hac constructione Sanctius agit prolixius, Minerv. I, 627. Quod idem notant grammatici nostrates.

V. 33. *plura dicet.* Scilicet *plura* peccata malevoli illius *dicet* Terentius.

V. 34. *Alias novas* sc. comoedias. Hisque item per prologos praemissos *dicet* de *illius peccatis*, *nisi*. etc.

nisi fin. maledict. facit. Eodem fere modo Horatius in Cassium item maledicum poetam, Epod. VI, 11, 12.

V. 36. *Statar. agere* etc. *Statariam* suam placere populo comoediam vult Poeta prae motoria. Motoriae autem dicebantur, ubi partes aut servi currentis, aut irati senis, aut edacis parasiti, sycophantae impudentis, avari lenonis agerentur.

V. 37. *servus currens. Servum currere* patiamur, sed non ingenui hominis esse, *currere*, existimatum. Ael. Lampridius in Alex. Sever. c. 42. memorat scilicet scenam ad infimum gradum decidisse. „Ille enim Imperator," ut legimus apud Lampridium, „voluptates scenicas in convivio nunquam habuit, sed summa illa oblectatio fuit, ut catuli cum porcellis luderent." Etiamsi non tam insulsi seculi erant aequales Terentii, tamen a turbida scena non alienati videbantur. Qui vero est populus, huiusmodi sane fabulae factae. Sed aliae Terentii.

serv. currens. Dicebat Alexander Sev. *cursorem* nunquam, nisi *servum* suum; ingenuum *currere*, nisi in sacro certamine, non debere.

V. 38. Edax. Verba Aristotelis, *Ηθικ. γ. οἰνοφλυγία καὶ γαστριμαργία* sunt, quibus notat ingluviem parasitorum.

sycophanta, calumniator; inde *συκοφάντημα*, calumnia, Dionys. Arch. rom. II, 30.

V. 50. *servire vestr. commodis.* Id. Cic. ad Q. fratr. 1, 1.— „eorum, quibus praesit, *commodis* utilitatique *servire*." Dixit, *vestris commodis*, ne diceret Senatorum, Equitum aut plebeji ordinis elegantiorum hominum. His enim cultioris indolis sufficere voluit ac potuit Terentius. Quodque indicavit, cum diceret: *in anim. ind. Quam maxume servire vestris commodis.*

ACTUS I. SCENA I.

Menedemus. Nomen *Menedemi* obvenit in Cic. lib. de Or. 1, 19. Idem sub commemoratione philosophi cuiusdam in Athenaei Deipnosophist. lib. IV. Omnino animadvertendum est, nomina omnium personarum Terentianarum, alia ante, alia post ipsum Poetam innotuisse. Omnia vero graece formata esse liquet.

V. 1. *nuper*. al. *nupera*, vox rara, nisi Plautina est. Unde hanc Terentii Schellerus hauserit, ego quidem nescio.

V. 10. *annos sexaginta nat. es.* Non video, quid alii mirentur, Terentium senes suos fere *sexaginta annorum* induxisse. Adelph. V, 8, 15. Ph. V, 9, 34. Quis item mirabitur, cur virgines quindecim aut sexdecim annos natae in illius comoediis dicantur?

aut plus eo. Ad normam linguae erat, *aut plus* sexaginta annis, non *eo*. Itid. Liv. IV, 39. — „ultra mediam noctem. Quo quum circumsedentibus nuntiatum esset" etc. Ibi notat Dukerus, editores sibi videri turbasse diversum genus praecedentis substantivi, „noctem." Hinc idem respicit ad hunc Nostri locum; et aliud ejusmodi reperit in Liv. III, 28. „Fames — quo" etc. ubi qua, ponendum erat. Ergo non novum est, Terentium genera nominum transmutare. *Tò eo* inveni in cod. Guelferbyt. Est etiam in Bruns. cod. Hal. Omisit Bentlej. Retinuit Muretus. Editt. al. hab., al. non.

V. 13. *proinde*, perinde. Quinctilian. Decl. 13. „et *proinde* agerem, quasi inanes perdidissem." Add. Ter. Varr. de hac partic. et ap. Non. Marcell.

V. 21. *Quod in op. faciundo* etc. Ne ipse *opus facias*, quo servos potius exercebis.

V. 22. *Si sumas.* Subaudi, id, refer. ad *Quod*, v. 21.

in illis exercend. Demonstrat Chremes operarios homines digito vel oculis suis, cum adest una cum Menedemo in agris.

V. 23. *ab re tua est otii tibi?* Hac locutione etiam Symmachus utitur, Epp. V, 25. „Certe si aliquid *ab re tua otii est.*"

V. 25. *Homo sum: humani* etc. Sententia post Terentium notissima. An eadem fuerit ante, in medio relinquitur. Ab illo certe desumtam eam adhibuit Cicero, de Offic. 1, 9. it. de Fin. III, 19, 63. etiam Seneca, Ep. 95. „Ille versus," inquit, „et in pectore et in ore sit."

V. 28. *opus facto est.* Ablativus participii cum *opus* usurpatur. Cornel. Nep. in Eumen. 9. „quid *opus sit facto.*" Qui participii usus elegantior est, quam nominis, ut Hec. Terent. III, 4, 17. *opus transverso*, non transcursu. Tamen in aprico est, *opus*, ubi participium non detur, construi cum substantivo.

V. 29. *usus est*, pro opus *est*, vid. Ramshorn. gr. I. §. 144.

V. 30. *si quid laboris est, nollem* sc. monere. Non labor est, quem curat Chremes, sed *quid mali* h. e. quid aerumnae seu aegritudinis animi subsit, propter quam ille tantum laboris, tantum operis sibi imponat. Idque summum est, cur comoedia inscribitur: Heautontimorumenos, quod est

latine, ipse se crucians. Laborem enim sustinet, quam pro fortuna sua majorem.

V. 32. *fac me ut faciam.* Schulzius gr. lat. §. 107. hic esse statuit anacoluthon. Sed si cui manca videatur oratio, alius eandem videbit integram. Nam, pronomine *me* omisso, vix erit, quod desideretur. Quid autem *me*? Equidem opinor, accusativum esse absolutum, plenius qui exprimatur: quod attinet ad me, secundum graeca, *τὰ κατ' ἐμὲ*, Xenoph. E. 1, 6, 5. Sic et Cicero *τὸ me* otiose posuisse videtur, cum diceret: „Haec *me* ut confidam faciunt," ad Q. fr. 15. Illum accusativum invenimus Virgilio praesertim solemnem.

V. 35. Senarius vers. spondaicus. Vox *quidem* monosyllabum pro *quid'*, positione seu confinio consonantiumlitt. neglecto.

V. 36. *istos rastros* etc. Accipe pronomen *istos* cum vi demonstrandi. Aut oculos defigit in illos, aut accipit manibus, ut auferat Menedemo *rastros.* In opere rustico. Virg. G. 1, 94. „Multum adeo, *rastris* glebas qui frangit inertes — juvat arva."

V. 36. 37. *at istos rastros* etc. Credere est scenam, qua haecce agantur, ruris esse simulari, non domi. Nam dictiones et voculae, *hic*, *illis*, *istos*, *adpone*, ne *labora* etc. rem praesentem significare videntur. Praeterea theatrum romanum satis magnum fuit, ut imaginem ruris vel agr. caperet. Ad hoc conf. infra 2, 17.

V. 42. *Habeo*, verbum bonum; miserum, *habui*, cf. Ramsh. gr. l. §. 164. Subit in mentem Homericum illud, Odyss. XV, 267. Latine sic: Pater mihi (Telemacho) est Ulysses; utinam esset; fuit aliquando. Debebam dicere, nunc vero tristi morte periit. Quod vero placuit a Popio anglice versum praebuisse: „And great Ulysses—was once my Sire: tho, now for ever lost."

V. 44. *anus.* Saepe notantur *anus* solitae virum adducere virgini. Sic ep. Tibull. I, 6, 58. Ovid. etc. Terentiana tamen melioris notae esse videtur, quae domi suae puellulam contineat. Infra II, 3, 34 etc.

e Corintho. Hinc venisse feminas, easque magno pretio, constat. Inde proverbiale dictum: non cuivis licet adire Corinthum.

V. 47. *rescivi.* „*Rescire* proprie est, rem, postquam gesta est, scire, quam nesciebas, cum gereretur;" v. Laur. Vall. p. 514.

V. 49. *vi et via.* Conjunctio quam suavis vocularum, *vi et via!* Modo id fieri possit, ut tota Terentii oratio cuicunque qui legerit, ea insinuaretur, quam peritissimus quisque sentiet.

V. 52. *in uxoris loco.* Huic conferend. illud in Andr. 1, 5, 38. „*Quam — curam pro uxore habuerim.*"

V. 58. *amori operam dabam.* Hoc minus quidem obscoene dictum, quam, „liberis *dare operam,*“ Cicero ipse existimat dici; vid. de Offic. 1, 35.

V. 60. *belli gloriam.* Cic. de Offic. 1, 22. „Multi — *bella* saepe quaesierunt propter gloriae cupiditatem.“ Quod vero Cicero, experientia docente, affirmat, id potuit facile poeta confingere. Corn. Fronto ait, *belli* esse pro, in bello.

V. 65. *ad regem.* Scilicet Persarum. Nam in proverbio erat Graecorum: *βασιλεὺς ὁ μέγας*, rex magnus h. e. rex Persarum. Fischer. ad Aeschin. Dialog. II, 4. Minime ergo Dacieriae assentimus, Seleucum Syriae regem intelligenti.

V. 70. 71. *Domum revertor moestus.* Haud alia *aegritudine* filii amoris patrem contactum videmus in Andria, 1, 1, 110.

animo conturbato. Contra Liv. 39, 34. „conlecto tandem *animo*,“ Philippi scilicet regis, qui paulo ante perturbatus animo videbatur, ob sceleris conscientiam.

V. 72. *Adsido.* Hoc verb. recte enuntiandum et agendum in arte actoris est, patrem dolore amissi filii delassatum ac depressum simulantis.

adcurrunt servi. Refertur res per imitationem. Consimilis festinatio familiae, Horat. Od. IV, 11, 9. 10. „Cuncta festinat manus: huc et illuc *cursitant* mistae pueris puellae.“

socc. detrah. „*Soccus* erat calceamentum humile, populo commune“ etc. v. J. Rosini rom. antiqq. Non temere *soccos* dicit, quibus utebantur in comoedia.

V. 76. *mea.* L. Valla reddit hunc locum ita: hem, tot mei solius solliciti sunt causa. Ergo vult *mei,* quod disputat esse, non sine rationibus, praeferendum, vid. lib. II. c. 1. de tribus pronominibus, mei, tui, sui. Quaeritur, pronomen *τὸ* ego, *mei* pro substantivo accipiatur, an pro adjectivo, ut dicamus, *causa* aut *τοῦ* ego, aut *mea*? Dici latine putamus, *mea,* adjecto emphatice, *solius*, quod usu suo testatur Cicero aliique boni scriptores.

V. 78. *sumtus.* Scrips. Bentlejus *sumptus,* per p. Sed durius audiunt, quae scribuntur, dempsi, temptare, hiemps etc. Igitur nos cum Victorino ac Terent. Scauro facimus, qui, Carrione teste, ad Val. Flacc. 3, 249. judicarint, melius esse, demsi, sumsi, et sic alia, non immissa lit. p, scribenda.

V. 80. *Quem — decuit.* Indicativum modum latine positum esse, peritissimus quisque novit. Nuper de huiusmodi indicativis docte disseruit Gernhard, qui est consulendus. Insuper notandum est, Terentium indicativo frequentius uti quam conjunctivo; id quod est a genere dramatico non alienum.

V. 85. *carens patria.* Damnum non exiguum, Romanis praesertim et Graecis, *carere patria*, qua nihil fuit carius. Quanti enim patriam Cic. aestimet, super omnia bona, haud ignoramus. Et Homerus ait: *ὡς οὐδὲν γλυκίον τῆς πατρίδος ἐστὶν ἑκάστῳ.*

V. 91. *exercerent.* Quid *exercere sumtum* sit, difficile est inventu; vid. Gronov. in Observatt. Multo facilius habemus *exsercirent*, s. *exsarcirent*, quod legendum inde a Festo Turnebus, Bentlejus, alii praetulerunt. Est autem *sumtum exsercirent*, pro s. compensarent. Eaque lectione prodit unicus sensus verborum. Ceterum in scriptura, si ab *exsercirent*, vel quod levius scriberetur, *exercirent*, errabatur, facile, puto, condonabimus.

V. 93. *quasi*, circiter, fere. Sic Plaut. Most. III, 1, 93.

V. 95. 96. Quo major sollicitudo, putat, eo major expiatio culpae. Aut quo minus ipse sibi parceret, eo magis expiaretur filius violatus.

V. 100. 101. *si quis recte* etc. *Tractaret.* Seneca, de clem. 1, 17. „Nullum," inquit, „majore arte *tractandum*, quam homo." Maximam artem esse educandi atque instruendi hominem, et quidem, ut Terentius addit, *recte aut commode*, nemo negabit, nisi qui ipse est imperitus.

V. 102. *vivitur.* Formula vitae communis. Cic. Fam. II, 15. Sed quid agas? Sic *vivitur.* Et *vere vivitur*, idem esse videtur, quod est, Sallust. Catil. 11. „*vera vita* nititur." Ille enim homo, qui vera vita nititur, ex sententia Sallustii, bonus est, non ignavus; „Ignavus autem nititur ad consequendam gloriam, honorem etc. dolis atque fallaciis." Proinde Sallustius existimare videtur, *vere vivere*, vel *veram vitam* pro integra habendam esse, dolis omnibus fallaciisque carentem. Nec vero de dictione, *vere vivitur*, omittere sustinemus, quod Cicero, de Offic. III, 3. commendat, convenienter naturae vivere. Id quod est Stoae philosophorum, *τῇ φύσει ζῆν*, h. e. quod etiam Cicero sentit, cum virtute congruere semper. Ita fere accipiend. erit, *λογικὸς βίος*, vita quae ratione agitur, ut apud Demetr. Cydon. de contemnenda morte, ed. Kuinoel. c. IV. §. 9.

V. 109. *Utinam ita dii faxint!* Formula precationum: *dii faciant!*

V. 110. *Dionysia.* Multus quidem fui de *Dionysiis* alio tempore, sed nunc alia in mentem venerunt ex Demosthen. orat. in Mid. ejusque or. Libanii argumentum. Cuius verba incipiunt haec: „*Ἑορτὴν ἦγον οἱ Ἀθηναῖοι Διονύσῳ, ἣν ἐκάλουν ἀπὸ τοῦ θεοῦ Διονύσια.* H. e. Festum (festos dies) agita-

bant Athenienses Dionyso, quae vocabant a deo *Dionysia.*" Adeat porro, si cui libuerit, praefationes Spaldingii ad illam orationem, et Hoepfneri ad Aristophan. Ran. unde id certe breviter teneamus, tria apud Athenienses fuisse *Dionysia*, quae vocarentur Limnaea, Urbica, *κατ' ἄστυ*, et Lenaea, *κατ' ἀγρούς*, sive in agris. Quum hoc loco Chremes Menedemum ad Dionysia vocat rure occupatum, nulla nisi quae in agris agitentur patet significari.

V. 112. 113. *idem — vult filius.* Argumentum ad hominem. Quod refutatur a Menedemo.

V. 115. *et tu* sc. *bene vale*, quod plenius est, Hec. 1, 2, fin. Si Brissonio credamus, *vale* est salutatio vespertina.

Ch. *Lacrumas excussit* etc. Abhinc quidam scenam sequentem fecerunt separatam.

V. 117. *Phaniam.* Hoc nomen obvenit liberti App. Pulchri apud Ciceron. in epp. ad Fam. III, 6.

V. 120. *Praesto esse.* Indicatur promptum paratumque apparendi vel exspectandi studium. Sallust. Jug. 71. ubi Corte.

V. 121. *Ibo adeo h. intro. Sed quid* etc. Sic in comoediis ea ceu casu interveniunt, quae his versibus continentur. Ut unum huiusmodi adferamus e Plaut. Mil. gl. II, 3, 57 etc. Post abruptam orationem, uti frequenter: Sed fores crepuerunt nostrae.

V. 122. *huc concess.* Sic Plaut. Trinum. IV, 2, fin. *concedere* est pro accedere. Plaut. Men. V, 9, 27. M. „te volo igitur: *huc concede.*"

ACTUS I. SCENA II.

V. 5. *opportune advenis.* Plautus more suo expressius: „Optima *opportunitate* ambo *advenistis.*" Mercat. V, 4, 3. et sic alibi.

V. 8. *advenientem, e navi egredientem* etc. Verius dixisset, reducem, e navi egressum. Nam rediit ex Asia, quo abierat, secundum scen. 1. vers. 65; nunc navi egreditur, quae eum advexerat, relicta. Verumtamen id minime peccatum, sed ex consilio potius Poetae esse putamus, juvenem paulo imperitum linguae inducentis.

V. 15. *se erga.* Transpositio praepositionis poetis praesertim minime insueta; vid. Ramshorn. gr. lat. §. 161. Inter prosaicos Tacitus maxime hoc amat.

V. 17. *in urbem misit.* Quia in *urbem misit*, ergo in agris scena est, non in urbe. Supra v. 110.

V. 20. *patr. incolumem*, hostibus intactam,

V. 21. *Atque haec perinde sunt, ut* etc. Aureum dictum. Namque bona aestimantur pro animo aestimantis ipsius. Hunc locum, v. 20. 21. Censorinus allegat, de die natali 1. §. 3. Cui haec ipse addit: „Igitur, quoniam quisque, nonquanto plura possidet, sed quanto pauciora optat, eo est locupletior."

V. 25. *sed reprimam.* Reticet animum patris mutatum.

V. 26. *mansum oportuit.* De hac mira syntaxi satis est, ex Laur. Valla Elegant. III, 49. dedisse tantum: „Dicunt, *oportet* legere libros, et *oportet* legi libros. Hunc," inquit Valla, „posteriorem modum magis ars grammatica probat, illum magis auctoritas. Addit idem: „Secus in praeterito· namque non ita saepe legimus, fecisse hoc oportuit, ut, factum hoc oportuit." Abrumpo Laurentium, in verbo *mansum* consistens, participio passivi, ut factum. Nam si datur, auctore ipso Cicerone, „factum *oportuit*," cur non item, *mansum oportuit?* Nisi hoc dubii restat, *mansum* verbi, quod dicitur, neutrius participium esse, non passivi, ut factum. Hoc vero dubium etsi tollere funditus non queamus, fatemur tamen illam esse syntaxin Terentii et aliorum. Sed recordamur etiam Plautini fere ejusdem, „raptum *oportuit*," Men. V, 7, 6. Conferamus ips. Terent. Andr. 1, 5, 4. *communicatum oportuit.* Adelph. II, 2, 6. *mor. gestum oportuit.* Heaut. IV, 1, 22. *interemptam oportuit.* Ramshornius facile se expedivit, quum hoc solum, *mansum oportuit*, inter similia adferret, gr. lat. §. 171.

V. 28. *pateretur.* Hoc *pateretur*, quod modi ac temporis grammatici attinet formam, conferendum est τῷ *curares*, Hec. II, 1, 32. Ramsh. gr. lat. §. 166.

V. 31. *tolerabilis.* Cum τὸ *tolerabilis* sensu activo posuit Noster, non praetermittimus, idem a Cicerone accipi in opusc. de rep. 1, 26. 28. passiva significatione.

V. 38. *ut tempus est diei.* Videre interest, ut *dies* et *tempus*, ille pro toto, hoc pro parte habeatur. Sic it. Sallust. Jug. 104. „*diem*, locum, *tempus* diligeret."

ACTUS II. SCENA I.

V. 1. *Quam iniqui sunt patres* etc. Huiusmodi senes Erasmus facit loquentes sic: „Hoc merito vulgo jacitur in nos, quod obliti, quales ipsi fuerimus olim pueri, filios nostros volumus illico nasci senes;" de conscrib. epp. p. 364. Cum his conferendam Plinii commendamus epistolam 12. lib. 13. ubi is patrem adhortatur, ut erga filium mitior, quam solitus, sit, nec obliviscatur, ipsum se juvenem fuisse.

V. 5. *facili.* „Qui *facilis* est, laudabitur, minus qui *leni* animo;" cf. infra III, 1, 29.

V. 7. *Non ut meus* etc. Hoc quod Clit. secum meditatur, ex sententia esse videtur Micionis, Adelph. 1, 1, 25. etc.

V. 9. *facito.* Non tam imperiose, quam amice.

V. 11. *da mihi, atque* etc. Huc pertinet illud Quinctiliani Decl. 14. Pro juvene contra meretricem: „Breviter totum nocentissimae mulieris accipite facinus, pauperem me fecit, deinde ferre non potuit."

V. 14. *ignar. art.* Aristoph. Plut. v. 109. *Ἀτεχνῶς*, pro *ἁπλῶς*, *ἀληθῶς*. Cum schol. quod est: *τέχνη γὰρ ὁ δόλος παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς*. Sic etiam latine.

V. 15. *procax.* Non secus Tibull. II, 4, 14. „Illa cava pretium flagitat usque manu." Sed Ulpianus Ictus ait, meretricem non turpiter accipere. Quidni is addiderit simul, publice eas tolerari? Cicero p. Coel. §. 49. dicit, quae meretrix, quae *procax* videatur. De his copiosior est Laur. Valla, IV, 105 quem vide.

sumtuosa. Aristoph. Nub. v. 55. 56. „*ὦ γύναι, λίαν σπαθᾷς. Θ. Ἔλαιον ἡμῖν οὐκ ἔνεστ' ἐν τῷ λύχνῳ.* O mulier, valde prodiga es. S. Oleum nobis non inest in lucerna." In summa quae hoc versu continentur, conveniunt ad avaritiam meretricularum indicandam, de qua Aristaenet. 1, 14. ita: „*Οὔτε αὐλὸς ἑταίραν οἶδε προτρέπειν — ἀργυρίου χωρίς.* Non didicit movere puellas tibia etc. si absit pecunia."

V. 16. *Tum quod dem ei, recte, est* etc. Citato huic loco Stanlejus in Aeschyl. Agam. v. 507. notam adjecit hanc: „Mira veterum in parcendo a verbis male ominatis superstitio. *quod dem ei*" etc. Sensus: Dare nihil possum, dicere tantum: *recte. nam nihil esse* etc. Qui nihil habent, hoc, nihil se habere, inviti fatentur. Pro, *dem ei*, alii invertunt, *ei dem.*

ACTUS II. SCENA II.

V. 3. *Concurr.* cf. Andr. III, 2, 31. *exaugeant.* Ex Palmerii emendatione, *exangeant.* Sic Plaut. Stich. 1, 1, 54. *angeor* in mss. Schobingeri, pro augeor. Al. ed. *angor.*

mulier, sensu minus honesto, quia male timet. Andr. I, 4, 2. IV, 4, 16. Hec. III, 1, 32.

V. 9. *isthuc jam.* Repetitur *jam* prius. Itid. more Nostri, in Andr. II, 1, 14. id *aliquid*, cum *aliquid* praecesserat. Nec minus ita *enim*, infra 3, 76. et 90.

V. 10. *nosti mores mulierum.* Plaut. Mil. gl. v. 1276. „*Mulier* profecto nata est ex ipsa mora."

V. 11. *Dum moliuntur, dum* etc. Hic versus, quod verb. *comuntur* praesertim attinet, ut integer restituatur, multi laborant interpretes. Nos quidem tuemur lection. *comuntur.* Nam in aprico est, feminas in ornandis se et comendis maxime sibi placere, aut neque velle nec habere finem morarum. Praeterea Tibullus eod. verbo de femina utitur, IV, 2, 9. 10. „Seu solvit crines — Seu *comsit.*" Popma, de Usu ant. loc. contendit, *comere* et *comare* ejusdem verbi esse varias extremitates.

Dum moliuntur, h. e. Dum surgunt, dum se movent. Plaut. Truc. II, 2, 55. Ibi Taubmannus in vocibus *Molliendis* et *Molendis* explicandis pro more suo doctissime versatur. Hinc Terentio nostro etiam *molliuntur* obtrudebatur, pro quo tamen Taubmannus ipse *moliuntur* legendum putavit.

annus est. Paene risum movent, qui dubitant, uter *annus* Romanorum significetur, prior decem mensium, an posterior sequioris temporis duodecim. Quasi Poeta alium annum notaret atque quo ipse viveret. Serio tamen disseritur hac de re in notis Bipontin. ad Terent. Varron. fragmentt. p. 348. Ubi Senecae notatio commemoratur, *annum* esse pro mensibus decem. Hic, *annus est,* proverbialiter dici, quis non videt? Pro quo diceretur: quam in molestissima sunt mora mulieres!

ACTUS II. SCENA III.

V. 15. *ubinam est fides?* Per negationem. Virg. A. IV, 373. Didonis exclamatio: „Nusquam *est fides.*" In utraque aut interrogandi aut exclamandi forma miseri hominis exprimitur desperatio.

V. 29. *dicta mater,* cf. supra I, 1, 44.

V. 30. Hoc versu vocem *alterae* Priscianus meminit lib. 6. agens de genitivo. Quam vero formam etiam apud Ciceronem, Caecilium aliosque offendimus. Pueri tantum in scholis, strenuo praesertim magistro, secundum antiquiorem genitivum dicere, unae, ullae, nullae, solae, totae, aliae, *alterae,* sedulo vetantur.

V. 37. *Anus q. prodit* etc. Simile illud est Tibull. I, 3, 83. „At tu casta, precor, maneas! sanctique pudoris Assideat custos sedula semper *anus.*"

V. 46. *Ejus anuis causa* etc. Notat Priscianus: Terentius contra regulam dixit, *anuis,* more antiquo, lib. VI. Inde patet tertiae tantum usus declinationis, necdum quarta existente.

V. 48. cf. Ovid. Fast. II, 764.

V. 49. *Capillus prolixus.* Liv. II, 23. *promissa* barba et *capilli.* Ibi Klockius, vulgari lectioni *promissa* praetulit *prolixa*, auctoritate Terentianae *prolixus* confirmatus. Addit, exponendi causa, Aemilium Probum in Datame de Thyo cap. III. „*Capillo* longo barbaque erat *prolixa.*“ Idem ex aliorum exemplis demonstrat, *prolixum capillum* esse longum. *Capillus* autem coma paulo longior esse videtur; inde recte vel sparsus vel diffusus vel passus et prolixus dicatur.

Capillus — circum caput Rejectus negligenter. Pulchritudo virginis conspicitur nescia artis ullius, quod est gr. *κάλλος ἀμήχανον*; vid. Juliani Caess.

V. 50. *pax.* Monet Meursius: „ut a paco *pax*, ita ab harpago etiam harpax adverbialiter adferebant;“ vid. Plaut. Trinum. IV, 2, 95.

V. 52. *nebat.* Itidem occupata Lucretia. Ovid. Fast. II, 741. — „petitur Lucretia. *Nebat.*“ Ovid. de medicamine faciei, v. 14. „Assiduo durum pollice *nebat* opus.“

V. 56. *sordidatam.* Cic. Verr. II, 2, 25. „*Sordidati*, maxima barba et capillo.“ Popma: „*sordidus* est, qui sordibus vel illuvie squalet, ut dissolutus aut avarus; *sordidatus*, qui sordida veste et obsoleta amictus est, ut reus, ille natura vel instituto, hic necessitate sit.“ Sequitur apud eundem Terentii versus: *Scin' hanc, quam* etc. Ac verisimile est, exinde Popmam definitionem illam sibi abstraxisse.

V. 59. *Nam disciplina est* etc. Colloquium exstat ancillae cum domina institutum, de amore juvenis cuiusdam, apud Aristaenet. in epp. II, 19; unde lumen afferatur ad nostrum locum.

munerari Ancillas. Hoc confirmatur Plaut. Men. III, 3, 17. Ancilla ad Menaechmum: „Amabo, mi Menaechme, inaureis da mihi — pondo duûm nummûm. — Ut te libenter videam.“ Quemadmodum per *ancillas* amatoribus aditus fit, ita Cic. Harusp. §. 44. Clodius beneficio *ancillarum* per pseudothyrum emittitur. Itid. Cic. p. Red. in Sen. §. 14.

V. 60. *ad dominas.* Kaempfer ad Calpurn. III, 50. „*Dominas*,“ inquit, „vocare solebant amicas suas Venerii quondam nepotuli.“ Et Achill. Tat. in Leucipp. *Δεσποίνας καλοῦσι τὰς ἑταίρας οἱ ἐρῶντες.* Tibull. III, 6, 14. *Dominam* appellat amator. Add. Calpurn. Ecl. 3, 50.

V. 64. *mulier telam deserit.* Item Virg. A. 9, 476. de anu in texendo occupata ac morte filii nuntiata perterrita: Excussi,“ inquit, „manibus radii.“ Paulo post, v. 489. „tela *anilis.*“

V. 66. *tuo.* Dicendum erat, tui. Non temere forsitan, quod pro ore servili videretur.

V. 68. *at ego nil esse scribam.* Scilicet, quod timeres.

V. 77. *quas ambages.* Ex his verbis apparet, Syrum a re, quam Clitipho cuperet, aberrasse. Hic enim periculum aversatur, cum quo, ex Syri incepto, Bacchide potiatur. Vid. v. 81. 82.

V. 79. *Enimvero.* Haec dictio in initio orationis et in indignatione usurpata est, Andr. I, 1, 64. Heaut. V, 5, 1. Hec. IV, 4, 51.

V. 88. *quod — argentum — ead. h. inveniam via.* Tritum hoc consilium, quale scimus e Phormione.

V. 89. *orando surdas j. aures* etc. cf. Horat. Epod. 17, 53. 54. „Quid obseratis *auribus* fundis preces? Non saxa nudis *surdiora* nautis Neptunus — tundit" etc. Plaut. Poen. I, 3, 25. „pergin' *aures* tundere."

V. 92. *Tuam amicam huius esse,* Cliniae. Ecce novum consilium confusi amoris.

V. 103. *modo.* Comice vox, *modo*, resonat iterata; quam nec Faërnus nec Bentlejus in codicibus suis videbant.

V. 104. *nam nescias.* Deest fortasse: quid cras evenerit, aut tale quid. Suspicor, adagium subesse, cuius finis abrumpitur.

V. 113. *mea res agatur.* Itid. fere Cicero in Verr. II, 3, 48. „Quodsi tua *res* non *ageretur.*" Ceterum Syri miraberis dolum, quo ambae juvenum amicae in domum Chremis perductae fuerint inscientis. Qui etiam efficit, ut Clinia, integerrimus homo, ad dolum illum accedat. Quae cum ita res comparatae sunt, jam nunc finem totius videremus, nisi et ignorata Antiphila, et ignorationes parentum, turbis exauctis, rem producerent.

V. 115. *verba - verbera.* Paronomasia.

huic homini. Per ellipsin, pro mihi; uti Horat. Sat. I, 9, 47. Hunc hominem etc. i. e. me, δεικτικῶς. v. Lamb. Bos ed. Schaef. p. 8.

V. 117. 118. *scilicet, Facturum me esse.* Propter *scilicet*, Schoppius, „Rarissima," inquit, „et elegantissima loquendi forma est, cum *scilicet*, certe, videlicet, fortassis cum infinitivo junguntur."

V. 122. *quos.* Quonam usu hoc pronom. sumatur, difficilius est intellectu; nisi est pro aliquos. Cic. Attic. XI, 13. „si quid erit, quod ad *quos* scribendum — putas, velim — facias."

V. 132. *Gemitus, screatus* etc. Hi sunt accusativi cum verbo *abstinere*, Terentii more, conjuncti; cf. infra III, 3, 4. Adelph. V, 2, 6. Alioqui dicitur, *abstinere* alicuius. A verbo ad rem convertimus nos. Ovidius enim, Heroid. 21, 24. puellam facit de nutrice, viris advenientibus, dicentem: „Exscreat; et ficta dat mihi signa nota.“

ACTUS II. SCENA IV.

Hac scena Bacchis palam confitetur, quae conditio meretricis vel amicae sit, ad alias feminas comparatae. Cuius ad exemplum Aristaenetus videtur epistolam confinxisse, quae inscribitur, *Φιλῆς τινὸς πρὸς τὰς ἄλλας γυναῖκας*, h. e. amicae ad alias mulieres se comparantis.

V. 11. *desertae* sc. ab amatoribus. Sic Euripid. Med. 519. „*Φίλων ἔρημος. Desertus* ab amicis;“ it. Platon. Phaed. §. 4. *ἔρημος ἐτελεύτα φίλων.*

V. 17. *Ex illius.* Scilicet Cliniae amati.

V. 18. *Ergo. Ergo* dicit, qui extremum sermonem Antiphilae cum Bacchide audivit.

V. 20. (Clitipho) *Syre, vix suffero.* Perridicule Clitipho, visa Bacchide, cupidine ardens, capite protruso in scenam vocat: *Syre, vix suffero.* Syrus autem occultatum eum voluerat paulo ante; cf. scen. 3. fin. Persona Clitiphonis muta debuerat esse, immo ne visa quidem.

V. 22. *partes.* Vix est intellectu, qui visum fuerit quibusdam, omissum esse *plagas*; quam vanam ellipsin aspernamur. Lamb. Bos sub v. *πληγή*.

V. 27. *Salv. advenisse gaudeo*, cf. Eun. V, 5, 6. Sic gratulantur adventum venientibus. Addimus ex Cic. ep. ad Attic. V, 21. „Te in Epirum *salvum venisse gaudeo.*“

ACTUS III. SCENA I.

V. 1. *Lucisc. hoc jam.* Dicunt vulgo, *hoc jam*, *δεικτικῶς*, i. e. coelum suspicientes. Liv. 4, 28. „Et *jam lucescebat.*“ Et Cicero dicit: „Adspice hoc sublime candens, quod invocant omnes Jovem“ (seu coelum). An verum est, quod ipso ex verbo *Luciscit* licet suspicari, inde ab hoc actu comoediam hanc postero die mane redintegratam esse et continuatam, postquam duo actus priores fuerint confecti die proxime praeterlapsa? In hanc opinionem spinosam cum Scaligero ac Dacieria incidere profecto facilius est, quam pro certo quidquam statuere.

V. 20. *Num quidnam* etc. Sic more salutantium in congressu, ut Cic. de orat. II, 3. „*num quidnam* novi?"

V. 21. *Valet atque vivit.* Hysteron proteron; cf. supra II, 3, 3. Ibi Bentlejus verba Terentii statuit esse, *et vivo et valeo.*

V. 29. *leni animo.* Cic. de or. II, 47. „*leni animo* ac remisso." Cui oppositum est ibidem, „inflammatio animi aut afflatus furoris." Dictio, *leni*, haud aliter valet atque, nimis indulgente. Inde per se intelligitur, a Chremete Menedemum, qui *leni* animo sit, vituperari.

V. 31. *Vehemens - es nimis.* Cic. p. Coel. 16. „Coelianum aliquem (patrem) *vehementem* atque durum."

V. 38. *victum vulgo quaerere.* Ecce quae poterit explicare Propertius, I, 2, 23. dicens: „*vulgo conquirere* amantes." Dicitur virgo *coacta victum quaerere* coepisse, cf. v. 37. Nec minus *coacta* Andria illa, I, 1, 45. aeque pervenit in hanc, quae offenderet, conditionem. Quis ita non videt humanam excusationem puellarum? Nam ab humanitate simulque arte Terentii venit, ut virgines non tam sua libidine incitatae, quam extrinsecus coactae aberrare pudicitia viderentur.

V. 39. *sine m. intertr. non pot. Haberi.* Talis Claudia esse describitur, Cic. p. Coel. 16. „si — dives effuse, libidinosa meretricio amore viveret" etc.

V. 41. *Quam ea - siet.* Apodosis. Namque subaudiendum est: scias hoc.

V. 42. *Primum jam* etc. Puta Chremetem a Syro seductum atque persuasum esse, Bacchidem Cliniae esse, quae est filii suimet ipsius amica; cf. infra 2, 14. E contrario non poenitebit uxoris Trajani Imp. reminisci, Plin. Paneg. 83. „Eadem quam modica cultu! quam parca comitatu!"

V. 43. *satrapa si sit.* Unum *satraparum*, Artabazum, Xerxis regis Persarum, populis maritimis cum regia potestate imperitantem, commemorare libet ex epistolarum, quae Themistocli vulgo adscribuntur, secunda, ubi legimus — *καὶ* (subaud. *Παυσανίας*) *Ἀρταβάζῳ συνετίθετο, ὄντι σατράπῃ βασιλέως ἐπὶ τοῖς πρὸς θάλασσαν ἔθνεσι.* H. l. *satrapes* appellatur, quisquis praedives est homo, aut maxime potens; quia opes Persarum fama efferebantur vulgari.

V. 44. *suffer. sumt.* Aelianus, H. IV, 14. refert, saepissime patrimonia, maximo labore quaesita, in sumtus meretricios prodita esse atque consumta.

V. 46. *Sensi.* Re vera *sentit* jam Chremes, quae Syrus praesagiverat, supra II, 3, 14. Sensit periculo et sumtu

suo. Experitur, quid sit, sumtuosam sustentare mulierem. In dramate id praecipuum est, ut res veluti vere gestae narrentur. Quaeque ita conjunctae esse inter se debent, ut una ex altera, ad vitae hominum instar, orta esse videatur. Igitur necesse est, ut huc vel illuc, connectendi causa, animum nostrum transferamus. Et hoc monendum arbitrabar, ut juvenes lectione Terentii magis magisque tenerentur, eoque delectarentur in dies.

V. 48. *pytissando.* Ter. Varr. L. L. IV. not. Bip. *σίφων*, vasculum cum tenui fistula — ad *pytissandum* vinum. In Fabri Thesauro scriptum est *pitissare*, modice vel paullatim degustare.

V. 49. *asperum*, quid sit, vide ex opposito, lene vinum, Cic. de Fin. II, 2. et quod Terentii sequitur V. 50. *lenius.* Turnebus *durum* legisse videtur, quod ipsum explicat, asperum et adhuc insuave, neque maturum. Saepissime autem factum est, ut, quod glossema erat, cum vera lectione permutaretur in libris manuscriptis.

V. 50. *lenius.* Placet vinum *lenius* a natura, quod labra mulieris gustarent; nisi forte mulsum, quale Virg. Georg. IV, 102. „dulcia (mella) durum Bacchi domitura saporem."

V. 51. *Relevi dolia.* Quod *dolia* dicit, vina dedit non vetusta. Nam *doliare* vinum quod dicitur, non vetustum est vinum, sed novum, Cic. Brut. 83; num igitur qui hoc sentiat, si is potare velit, de *dolio* sibi hauriendum putet?

V. 54. *amabunt.* Futur. temp. pro praesente. Ramshorn. gr. lat. §. 166. Nudo is in exemplo acquiescit, causa non addita. Verum in votis solent esse optantibus etiam futura.

misertum est. Recitatur, *misertum 'st.* L. Valla vult, Terentium illud dixisse pro, a me *misertum est.* At nos contendimus, eandem constructionem *τοῦ misertum est* obtinere, quae est *τοῦ* miseret me alicuius. Sic etiam Priscianus lib. 8. *misertum est*, positum existimat, pro miseret. Miseret Chremem Menedemi comice, quia Bacchidem luxuriosam Cliniae esse falso opinatur amicam, non sui filii Clitiphonis.

V. 57. *certum est tibi.* Haud secus Tacit. A. I, 47. „Immotum fixumque Tiberio fuit, non omittere caput rerum." Sic *certum est*, habemus pro, immotum fixumque.

V. 66. *Talent. hoc pacto* etc. cf. supra v. 59. *Ut ne scientem sentiat – te dare;* et v. 61. *per alium ut des* etc. Contra non vult *illo* pacto Chremes, quo insipiat Menedemus,

v. 56. *Sumat*, *consumat* etc. dicendo, ut filius e manu patris ipsius, non *per alium*, accipiat profundenda.

V. 70. *proditurum-vitam* i. q. perditurum salutem.

V. 77. *pati*, aeque ferre.

V. 78. *Dare negaris.* In hac ellipsi, τοῦ si, inquirenda consumunt operam suam grammatici. Eun. II, 2, 21.

V. 82. *Somnum-ego-non vidi.* Suspicatur Muretus, fuisse in Graeco Menandri, ὕπνον οὐχ ἑώρακα. Sed quaerimus, qui fieri possit, ut somnum videamus? Scimus quidem vulgare esse dicere, somnum videre, Romanis.

V. 84. *Cedo dextram.* Plene Aristoph. Nub. 81. „τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιὰν, manum *cedo dextram.*“

V. 90. 91. *ambig. de finib.* Ergo „*fines* erant *ambigui* juris.“ Sueton. in August. 32. Liv. III, 71. eodem fere modo: „Arricini atque Ardeates de *ambiguo* agro (de *finibus* sociorum) quum — certassent — judicem populum roman. cepere.“

V. 95. *Aliena ut melius* etc. Menedemus idem est, qui supra I, 1, 24. qui aegre fert, Chremetem aliena magis curare, quam sua. Recte idem sentit, Chremetem miserum patrem esse miseri filii, non semetipsum. Supra v. 42. Itaque rationem addit iuventam: Quemque enim etc. minus in re sua videre, quam in aliena; id quod ostenditur V. 96. 97. In hanc sententiam jamdudum incidit Menander: οὐδεὶς, inquiens, ἐπ' αὐτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ — ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται. Minime tamen Menedemus, sic proprium esse Chremis, curare aliena, vituperat, sed laudat potius in exemplo suimetipsius.

ACTUS III. SCENA II.

V. 3. *hosce struere.* Virg. A. IV, 271. Mercurius ad Aeneam otiosum: „Quid *struis?*“ fingis, machinaris, excogitas. Nove inventum, dominos ipsos velle se decipi fallive dolo servi nescientis; ideo Chremes vix exspectat, dum Syrus machinam suam dolumque struxerit intenderitque in se ac Menedemum.

V. 11. *Faceta.* *Facetum* esse, qui urbaniore joco utatur, quam dicacem, testis est Cicero de Demosthene judicans oratore.

V. 12. *sic satis.* Parcius laudat, quam Syrus, qui dixerat: *hercle-luculenta.* Quare idem

V. 13. *Ita non ut olim*, dicit vel blande vel ironice vel adulatorie, quia senes amant, quod fuit *olim.*

V. 15. *aridum.* *Aridi* senes dicuntur, qui perparce vivunt. Ernest. clav. Cic. „Victus *aridus* est rusticorum, qui raro cibum sumunt, post quem manus lavandae sunt etc. unde vita rustica *arida* dicitur."

V. 26. 27. *in loco Ego vero laudo.* Ipse dat Chremes approbationem sui fallendi ipsius. Quod comici est elegantioris. *recte sane*, blande respondentis.

V. 33. *Abeat* sc. filius, cf. I, 1, 65. *queat.* Subint. pater, cf. 1, 44.

V. 34. *stolidus.* Derivat Ter. Varro a stolone, de RR. I, 2, 9. *stolidus*, „excors, stultus, qui parum intelligit." Fabr. Thes. Terent. Andr. III, 1, 12.

V. 38. *Non est mentiri meum;* vid. Broeder. gr. lat. §. 247.

V. 40. *Si quid huius* etc. Callide servi praecavere sibi solent, ut locus sit excusandi. Itid. Eun. II, 3, 97. 98.

V. 42. *spero hercle.* Verb. *spero*, quasi non vere diceret, quod evenit.

V. 45. *Et nae ego.* Incerta Chremeti venditat pro certis iisdem. Sic Davus domino suo, in Andr. III, 2, 29.

ACTUS III. SCENA III.

V. 3. *acta haec res est.* Pro, actum est, desperatum est, aut, negotium est actum. Perizon. in Sanct. Minerv. ad hunc locum: „*acta haec res est*, h. e. res haec est res acta prorsus, ut nulla spes sit residua." Sanct. Min. lib. III. cap. 8. Quod sic est, ad normam grammaticae explanatum.

perii. Exclamatio desperantis notissima. Phavorinus: „*Ὄλωλα δὲ, καὶ ὀλώλεκα, οὐ σύνηθες, εἰ μή που σπάνιον, καὶ παρὰ ποιηταῖς. Perii* etc. non pro more, etsi non rarum, et apud poetas."

mene? Sic partic. *ne* pronomini adjuncta, vehementissime negantis. Zumpt. gr. lat. §. 67.

V. 6. *amicam subigitare.* Obscoene dictum. Itid. fere illud Macrob. Sat. II, 2. „Gallam *subigo.*" Non alienum est verb. gr. *κινεῖν*, Aristoph. Nub. v. 1374; ad hoc v. scholion.

ejus amicam subigitare. Delectant confusiones amorum. Inde obliqua senis objurgatio; inde cetera perversa.

V. 7. *in vino.* Plaut. Asin. IV, 1, 27. 54. *ad vinum.* Additur explicatio: ad mensam, ad pocula.

V. 11. *eorum.* Confuse somniat: Cliniae cum Antiphila sua.

V. 27. *istac.* Huic pronomini annectitur *ce* vel *c*, cum vi demonstrandi majore. Supra IV, 4, 24. Zumpt. gr. l. §. 132.

V. 28. *Di te eradicent.* Huiusmodi est Plaut. Rud. III, 6, 47. „*Di te* infelicent.“ Precatio infausta, in Formul. v. Brisson. *hinc extrud.* Verb. frequens esse videtur, *extrudi* aedibus, Plaut. Rud. IV, 4, 2. ubi quidem varie legitur, *pedibus* et *aedibus.* Vocem *Di* contractam Priscianus excutit, more suo subtiliter, lib. VII. Ex *dii*, *di* productum constat. Sed ille vult caveri, ne significatio huius nominis *di*, in dativo plur. *dis* et praepositionis di, vel, dis, confundatur. Idem monet in pronomine, is, ii, iis. In quibus equid. puto, veteribus cautum esse ita, ut aspiratione praemissa dicerent hi, his, pro ii, iis; nam in vetustis codicibus scripta inveniuntur, hii, hiis pro ii, iis.

V. 37. *aliud ex al. incid.* Simile Cic. de Fin. III, 22. „*aliud ex alio* nectitur.“ Id. de Legg. I, 4. „nec profecto nobis delectatio deerit, *aliud ex alio* quaerentibus.“ Omnino est haec locutio frequens atque vulgaris. Ter. Eun. V, 5, 17.

V. 40. *Drachmarum - mille.* Dionys. H. Arch. rom. IV, 26. *ἑκατὸν μνᾶν.* Quae summa, *ἑκατὸν μναῖ*, eadem est *μύριαι δραχμαὶ.* Quantum valeat mina, diximus alio loco.

V. 52. *crepuerunt fores.* Muretus putat, *crepuit foris*, legendum esse, quia aliter versus non constet. At si hoc esset, tunc melius inverteretur, *foris crepuit*, propter jambum retinendum in fine, sicut est in Adelph. II, 3, 11. *crepuerunt*, sonitum ediderunt vel strepitum. Fores domorum Athenis aperiebantur in publicum, ut qui exiret, strepitum ante faceret intus, ne quis forte praetereuntium apertis illis offenderetur vel laederetur. Sic in Aristophan. comoedd. *ψοφεῖ τις ἔνδον* dicitur is, qui foras exire vult.

ACTUS IV. SCENA I.

V. 8. *magnas nugas dix.* Magna dicturus, nihil protulerit momenti. *Nugas* Donatus vocat convicium comicum. Consentit quodammodo cum Plaut. Pseud. IV, 6, 19. „*Nugas* theatri.“

V. 14. *Si puellam parerem* etc. Quae jam alias dicta sunt, his addimus de more veterum crudeli, Ovid. Met. IX, 676. — „ergo Edita forte tuo fuerit si femina partu — necetur.“ Et Liberalis Metam. 17. — *ηὔξατο μὲν ἄῤῥενα γενέσθαι αὐτοῦ παῖδα· προηγόρευε δὲ τῇ γυναικὶ, ἐὰν γεννήσῃ κόρην, ἀφανίσαι.* Annectendus est Apulejus, cum nostro

poeta conveniens, Metam. X. p. 185. ubi etiam femina tali mariti praecepto non est obsecuta. Natam enim filiam non exposuit, sed vicinis dedit educandam. Hec. III, 3, 40.

V. 15. *Sustulisti.* Miramur, Chremem ad Sostratam dicere *Sustulisti*, cum ex more pater *tollere* infantem dicatur, mater non ita. Nisi est, ut Chremes dictionem suam conformet praecedenti uxoris.

damno auctus est. Mira hac de locutione alio loco diximus; nihil addimus, nisi quod per antiphrasin dictum est, *damno*, quia sumtus augetur nutriendi; *auctus*, pro minutus *est*, servata filia. Honeste dixit *auctus est.* Servi ostenditur animus, ore quidem humilior.

V. 17. *Exponendam.* Hoc crudeliter. Minuc. Felix 31. — „dum etiam domi natos alienae misericordiae frequenter *exponitis.*" Sic ille Christi cultor ad exteros, quibus hoc criminis objecit. Quamvis h. l. maternus amor averterat crudelitatem patris. Sed, quod notandum est, inter gentiles consuetudo judicium impii facinoris lenierat mitigaveratque. Nec vero tam necandi, quam amovendi recens natos, cura erat interdum parentibus. Poterant enim causae expositionis intercidere. Romulus et Remus exponebantur, ut Rhea Vestalis liberaretur supplicio. Inde post tot secula annorum Plinium legimus quaesisse ab Imperatore suo, quid de liberis natis, expositis faciendum sibi (esset), ep. 71. lib. 10.

V. 28. *quidvis satis est, dum vivat modo.* Variant codd. al. *quid vis? satis est* etc. al. *quidvis satius est.* Nos acquiescimus in lect. recepta. *dum viv. modo.* Ridet mulierem. Nam viri contemnunt vitam miseram, cui mortem ipsam praeferre videntur.

V. 31. *peccavi, fateor.* In hanc confessionem venit etiam Pamphilus, And. V, 3, 25.

vincor. Addendum videtur ex Phaedro, „veritatis viribus," I, 1, 9.

V. 32. *Quanto tuus est animus* etc. Consimile subit Davi verbum, And. IV, 1, 54.

V. 35. *Male docet te.* Reddet te, si quid tale iterum evenerit, non aliam.

mea facilitas multa. Facilit. mea multa est, qua tibi factum condono.

facilit. multa. Dicit *multa*, ut ostendat, quanta sit facilitas, qua illi ignoverit.

V. 37. 38. *Religiosae.* Quasi matres religioni sibi ducerent, expositis infantibus, nihil quidquam de hereditate juxta adposuisse.

de digito annulum Detraho. Hoc usus est modo loquendi, praeter alios, Cicero de Offic. III, 9. „*annulum — in digito,* quem ut *detraxit*, ipse induit.“

V. 41. *Quam Bacchis secum* etc. Graece praemittitur relativ. pronom. *quam*; sequitur demonstrativ. *ea,* Antiphila, v. 42.

V. 51. *Sequere me intro.* Sic in theatro frequenter. *hac* sc. parte. Vultu demonstratur vel manu. Nam ostia vel januae dabantur introeuntibus personis exeuntibusque a tergo et ab utroque latere scenae. Cf. infra 7, 4, et in Plauti comoediis centies.

ACTUS IV. SCENA II.

Notamus, Mureto videri, quae sunt huius scenae, non sejunctim ponenda, sed continuanda scenae priori. Non ita nobis aliisque visum est; quia Syrus a ceterorum turba solus remansit, quo scena vulgo separata constituitur.

V. 6. *bolum.* Priore producta, frustum significari docet Taubmannus. Nec vero tironem hoc fugit, ex graeco, *βῶλος*.

V. 8. *Nil tam difficile est*, *quin* etc. Sententia contraria est, infra 6, 1. *Nulla est tam facilis res*, *quin* etc. Dives autem est Terentius, Euripideo more, intermistis, quae stricte sic dicuntur, sententiis.

V. 11. *Retraham*, quasi quod evaserat, *argentum*; a servo autem, servili joco, *fugitivum* appellatum. *Fugitivi* enim servi dicuntur *retrahi*, qui e fuga reducuntur domum ad herum. Unde et ap. Varr. R. R. fugitivarius dicitur, qui fugitivum conquirit et sectatur. Hac de re etiam Turnebus est videndus, in Adverss. lib. 24. c. 29.

ACTUS IV. SCENA III.

V. 5. *ex sententia*, notissimum est pro, ex voto, seu quod his consentit, quae optaveramus. Cic. ep. ad Coel. II, 15. „Confecta res *ex sententia* mea est.“

V. 8. 9. *ita - ament*, *ut - laetor.* Formula jurandi. Quod optamus, ponitur in conjunctivo seu optativo modo; quod habemus, aut quod est, in indicativo.

V. 15. *operam.* Addunt libb. antiqui *hanc*, quod Bentlejus, quia recentioribus omnibus absit, delevit. Omisimus etiam nos.

V. 17. *in tuto ut collocetur.* Itid. supra v. 11. Ni fallor, hoc verbum Terentius sinit esse in ore Syri consuetum. Bis enim eodem utitur, paucis interjectis.

V. 22. *tenes*, intelligis. Sic Cic. Qu. acad. II, 48. „*Teneo* te, inquam, nam ista Academiae est propria sententia.“

V. 23. *quin nolo mentiare.* In mss. *quid? nolo mentiare.* Sed τὸ *quin* Muretus tuetur, auctoritate G. Fabricii suffultus. Nos vero ipsum Terentium appellamus, particul. *quin* cum verbo indicativi modi consociantem, ut infra 4, 15. 7, 4. And. II, 3, 25. IV, 4, 15. Atqui Terentium ex semetipso melius judicandum esse censemus, quam ex aliis scriptoribus. Quamdiu ergo sibi ipse probari poterit, non opus est auxilio aliunde petendo.

V. 29. *sobrius.* Hoc epitheton quid valeat, cognoscitur ex opposito, „ebrius,“ i. e. levis, temerarius. Scilicet utrumque ita per metaphoram.

V. 30. *in tuto.* Itid. fere Liv. 39, 4. Formula dicendi, *in tuto esse*, significat, omnia esse tuta, nihil imminere periculi. Sic in facili, in difficili esse, dicuntur, quae sunt facilia, difficilia. Sic *in metu esse*, supra I, 2, 25.

V. 37. *quid me fiat.* Suppressa est praepositio, de. In talibus enim, *quid me fiet*, *quid illo faciam* etc. apud comicos, praepositiones, ob, vel propter, de etc. omittuntur. Popma de eclipticis II, 11. Hac venia etiam Livius usus est, lib. 33. cap. 27. „quidnam se futurum esset,“ pro, de *se.* Quis ita non sentit quotidianum sermonem, studiosissimum brevitatis?

V. 38. *aetatem.* Nonius *aetatem* docet, positum pro diu, saepe. Jocose tamen et comice, *aetatem.*

V. 41. *quid si nunc coelum ruat.* Scheffer ad Jul. Obsequent. cap. 116. *coelum ruere.* „Magno impetu sonoque delabi,“ citato loco nostro. Non intellexit proverbium, quod est in ore hominum, qui quod nemo non dubitet, fieri posse arbitrentur.

ACTUS IV. SCENA IV.

V. 2. *minas* pro minae. Per attractionem, quam dicunt, more Graecorum. Sic etiam Andr. Prol. v. 26. *quas faciet-comoedias.*

V. 3. *frustra veniet.* Glareanus legit, *aut frustra veniet.* Quam particul. *aut* Muretus in nullis libris invenisse testatur.

V. 5. *pendebit animi.* Cic. de Legg. I, 3. „et ego *animi pendere* soleo, cum semel quid orsus, traducor alio.“ Ceterum de locutione, *animi pendere,* graecissante, vid. Sanct. Minerv. II, 3. Dubio enim animo significat esse, aut suspenso.

Quod versum attinet, contrahitur ultima vox, *anmi*, ut sit, quem versus postulat, spondeus. Vid. Schulz. gr. lat. §. 110. Addimus: ne finis sit per anapaestum.

V. 8. *commovebo*, excitabo, instigabo, scilicet ut argentum mihi debitum conquirant. Audiamus in tali re apud Alciphron. epp. I, 40. meretricem Philumenam Critoni suo instantem his verbis: „*Εἰ μὲν οὖν φιλεῖς, δός· εἰ δὲ φιλαργυρεῖς, μὴ ἐνόχλει.* Quod si igitur amas, des; si pecuniae tenax es, noli molestus esse.“

V. 11. *Dionysia agitat.* Quoniam jam supra I, 1, 110. memorantur Dionysia, inde licet suspicari, hanc comoediam ipso tempore Dionysiorum esse actam. Et *Dionysia* non sine dramate *agitantur.* Schol. ad Aristophan. Nub. 519. *Ἐπεὶ ἐν Διονυσίοις — τὰ δράματα ἤγετο καὶ ἐδιδάσκετο.* Ita peropportune: „*Dionysia agitat.*“

V. 15. *quin ego maneo.* Muretus ejectum vult pronom. *ego*, quod versui incommodet.

V. 18. *egone?* Negatio inest in *ne* adjuncto. Eun. II, 1, 11. Quibus diversis, prout res postulat, latini scriptores interrogandi modis utantur, explanavit Ramshornius, gr. lat. §. 174 seqq.

V. 21. *quid est rei?* Eun. IV, 3, 10. Hac formula etiam Livius utitur, 3, 17. in oratione P. Valerii cons. ad tribunos: „*Quid* hoc *rei est,* tribuni?“ Notatur haec quoque in Formulis solemn. pop. rom., a Brissonio collectis, ed. Lips. 1737. p. 725.

V. 23. *efferant.* Adhortantis, absque, ut. Ramshorn. gr. lat. §. 166. Sic v. c. post scripsit; vid. Jul. Caes.

V. 24. *harum.* In Palatino cod. est per apostrophum, *harunc'* pro *harunce.* Sed quam facilis hic error est scriptionis! Ceterum quaecunque scriptio est vocis, genitivus *harum* non ignoratur. Non tamen poenitebit, de terminatione, n, nc', aut etiam, nce, audivisse Priscianum, lib. 13. qui dicit: — „Vetustissimi addebant, ce, syllabam, hicce, haecce, hocce. Unde vocali quoque sequente, e, ablata, per synaloeph. manentib. duab., c, solebant producere hoc, ut Virg. A. II, (664.) „„Hocc' erat alma parens.““ Sed scriptorum negligentia praetermisit unum, c. Et sciendum, accusativi sing. et genitivi plur. m, in, n, converti, c sequente, ut hunc, hanc, horunce, *harunce,*“ pro horumce etc.

ACTUS IV. SCENA V.

V. 1. *vicem.* In mss. quibusd. *vitam.* Mirum est, apud Livium 1, 25. variare itidem „*vice* unius et *vitae* unius," nec potest dubitari, quin interpretes abhinc ad Livium, et ab eodem iterum ad Terentium respexerint. Credimus tamen Terentium *vicem* scripsisse, non *vitam.* Nam ex dicto supra I, 1, 25, is esse Chremes videtur, ut vicini conditionem miseram spectet, ac sentiat ut suam.

V. 7. *nec fieri modum.* Plaut. Mil. gl. III, 1, 742. „Cum *modo* tu obsona, nec magno sumtu."

V. 8. *Optabit, rursum ut abeat* etc. Ridiculum est, de filio Menedemi credere Chremetem, quod solum pertineat suum. Et id quoque satis ostendit, Chremetem aliena magis curare, quam sua.

V. 10. *optab. te mihi dari*, pro, *exopto*, ut mihi tui colloquendi copia *detur.*

V. 17. *evenisse ex sententia.* Velut ad exemplum Plauti, Men. V, 9, 89. M. quoniam haec *eveniunt - ex sententia.*

V. 40. *cum maxime.* Vox est, *cum maxime*, instantis praesentiae; cf. Liv. 43, 7. tum *cum maxime.* Opponitur spatium temporis, quod praeteriit prius.

V. 48. *jus summum saepe summa malitia.* Proverbiale hoc, nec ignota ejus sententia, quam Symmachus exprimit, ep. 1. lib. 1. ubi dicit: „Injurius videar, si *summo* vobiscum *jure* contendam." Pro *malitia* legitur Ciceronis *injuria*, de Offic. I, 10; quod *injuria* tamen ei videtur esse pro malitiosa juris interpretatione. Sic etiam Cicero, de nat. deor. III, 30. „Est enim," inquit, „*malitia* versuta et fallax nocendi ratio." Ergo *malitia* et *injuria* propinquae sibi invicem sunt, ita quidem ut ab illa priori haec posterior facile veniat ac efficiatur. Totum Graeci dicunt *ἀκριβοδίκαιον* et *ἄκρατον δικαιοσύνην.*

ACTUS IV. SCENA VI.

V. 7. *Cum tuo i. invento* etc. In libb. antiq. est *tuo*, quod ideo est non omittendum. Faërnus non habet. Versus incipit ab cretico pede, *Cūm tŭō.*

V. 17. *Tua Bacch.* Muretus non vult *Tua*, quod adversetur metro. Et nos idem abundare putamus propter *tibi* v. 16, nec minus propter nimiam longitudinem versus ipsius.

V. 22. seqq. *Sed pater egreditur. cave* etc. Vide quo fere eodem modo Davus Pamphilum bene monitum reddat, ad patris adventum, Andr. II, 3.

ACTUS IV. SCENA VII.

V. 1. *eccum hic tibi.* In formulis ac more, digito demonstrandi, obvenit, *hic est*, apud Horat. Tacit. Cic. al. et ap. comicos centies.

V. 2. *pleraque omnia*, pro, plerumque *omnia.* Attice, πλείονα πάντα. Cf. Andr. I, 1, 28. Phorm. I, 3, 20. Hesych. πάντες ἀντὶ τοῦ οἱ πλεῖστοι.

V. 8. *Quas pro alimentis* etc. Non ignoramus de alenda uxore pactis prospici solitum apud Romanos. Exempla huius rei docendae Brissonius ex instituto congessit, immo accumulavit. Dictione autem *alimentis* indicari videtur, quod Cicero, de Offic. 1, 13. dicit, „justa praebenda." Exponit Heusinger, cibaria, corporis tegumenta, cubilia.

V. 9. *Hasce ornamentis* etc. Non dotem duntaxat fuisse, quae daretur, sed etiam alimenta, id patet ex Sueton. Calig. 42. „*Filia* vero nata — collationes in *alimoniam* atque *dotem* puellae recepit. Proinde videmus, dotem et alimenta bene distingui. Chremes tandem deceptus ac persuasus a Syro, illam pecuniam se dedisse pro collocanda filia; cf. supra 5, 29. qua eadem ille emunxit senem, ut, Clitiphonis causa, absolveret Bacchidem. Id vero, ut ubique servi dominis ingenio acuto praestarent, Terentius cum Plauto effecit in omnib. fere comoediis. Sed cur id fecerint, si quaeratur, quia uterque comicorum servitiis ipse originem suam deberet, an quia ostendere vellent, cum fortuna non dotes dari ingenii, id aliis relinquimus dijudicandum. Nisi multi dabantur tunc temporis doli servitiorum ac fallaciae.

V. 11. *Quam multa injusta* etc. *Mores* urget, aevi quidem cultioris. Antiquitus enim emebantur uxores.

V. 12. *relictis rebus.* Formula est, qua uti solent festinantes.

ACTUS IV. SCENA VIII.

V. 1. *Multo omnium me* etc. Postrema haec ad filium post scenam.

V. 11. *Erravi.* Quae verba vulgo sequuntur: *sic res acta est, quanta spe decidi*, interpolata videntur, quia sunt

otiosa; non mirum est igitur ea lib. Bembino et Vaticano exsulare.

V. 13. *et tu credis?* Delectat Chremes deceptus et errans, qui sibi sapere videtur.

V. 21. *nimium illi-indulges.* Quod saepe fit a patribus. Sic Cicero de filio fratris — „*indulsit illi* quidem suus pater semper; sed etc. Ep. ad Attic. 10, 11.

V. 25. *Generum placere* etc. Haecce esse Chremes aegre nunc adsimulat, eadem tamen post vere facta videbit cum omni sua laetitia ac voluntate. En mira ars Poetae.

V. 33. *Nam te sciente faciam.* Volebam redire cum Mureto ad alteram lectionem, ni consuetam, at certe multo faciliorem, quae est, *te scientem*, ut sit, *te scientem faciam* pro, quod notissimum est, te certiorem faciam seu reddam. Aliud tamen in mentem venit. Nam dicere mihi videtur Menedemus: *faciam* i. e. ut supra v. 30. *cautim et paulatim* dabo, et quidem, *te sciente*, ita ut tu scias; *quicquid egero* pro, quicquid ibi in hac re effecero. Merito enim Menedemus Chremetem suspectum habet, magis aliena curantem quam sua. Parcit tamen, qui plus sapit, amico, dicens: *faciam*, ac iterum *faciam*, quod tu praecipis. Dicit hoc *faciam*, ut placide respondeat, non aspere repugnet amico tam sollicito de alienis. Hoc mihi certe visum est verissimum. Alius judicabit pro suo judicio, quid possit. Postremo Frontonem adfero, *te sciente*, seculo II. p. Christ. legisse.

ACTUS V. SCENA I.

V. 5. *In illum nihil potest.* Subaudiendum est ex superioribus, *convenire*, v. 3. Haec oratio ironica, immo acerba Menedemi, melius Chremete insipiente instructi.

V. 13. *Ha, ha, he.* Ridet, quia se scit adsimulasse.

V. 14. *voltus quoque hominum* etc. Frons et oculi maxime declarant animi affectus.

V. 20. *aurum, ancillas.* Muretus injecit *atque*, ut legeretur, *aurum atque ancillas*, ne, ut opinabatur, versus claudicaret.

V. 24. *qui alia tam plane scias.* Salse dictum. Et *scias*, recte; id quod aliquis possit dubitare. Ita conjunctivo modo utuntur, non indicativo.

V. 25. *Sed ille tuum Syrus* etc. Simile reddit ad illud supra v. 19. *injecisse v. tibi Dromonem* etc.

V. 27. *osculari atq. amplex.* Hoc utrumque itid. Plaut. Mil. gl. II, 3, 49. „quam vidisse ajebas te *osculantem atque amplexantem* cum altero.“

V. 31. *dictum factum huc* etc. Modestus repellit plura quaerentem.

Ch. — *fact.* M. — *fact.* Repetita vox est affirmatio interrogationis. Broeder. gr. l. §. 169. Nec taceam, *dictum factum*, proverbiale esse. Vid. Erasm. Adag. Id. gr. „ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον. Factum cum dictis conjunctum.“

V. 38. *Im. quod amicae.* Reticet honeste: operam dat. Sed supra hac re vid. Cic. ad Fam. IX, ep. 22. ex placito disserens Stoicorum, non turpe, non obscoenum esse in verbis, quod non idem in re. „Et honeste,“ inquit, „liberis *operam dare*, dicitur.“

V. 39. *communi.* In mss. legi Muretus *cōi* testatur, quod valeat *comi*, an, ut in aliis, *communi*, satis liquido affirmari non posse.

V. 44. *Nisi si essem* etc. Sic in Andr. III, 1, 12. Simonem poenitet sui dementis.

V. 49. 50. *Nonne id flagitium* etc. Hoc in contrariam partem, cf. Cic. Fam. II, 7, 5.

V. 55. *multo malo.* Tò *multo* est in codd. Bentleji. Ad hoc conf. Hec. I, 2, 35. et Plaut. *multo mavelim*; etsi *potius malle* eidem ac Ciceroni frequentissima est locutio. Cic. de Offic. I, 31, 8.

V. 63. *gener et adfines placent.* Cicero ad Coel. ep. 15. lib. 2. „Spero fore jucundum *generum* nobis“ etc. *Generum* sibi eligere, moris erat, si conveniret. Exemplum est, praeter multa aliorum, ipsius Terentiani Chremetis, in Andria, I, 1, 72 seqq.

V. 64. *Quid dotis dicam* etc. De utroque, *dicam* et *dixisse*, posterius notamus, *dicere* dotem esse solemne. Quid vero discriminis Jureconsulti quaerant inter *dicere* et promittere *dotem*, id nobis non curae est.

V. 65. Ch. *ah!* Haesitat de *dote*, ob timorem profusi Clitiphonis.

V. 68. *me salvum esse, et rem et filium.* Ne ille dissolutus homo dilapidet bona ac pereat ipse. Ne ipsa res mea familiaris pereat ac divulgetur. Nam, perditis illis duobus, tandem de me ipso actum esse viderem.

V. 73. *redigam.* Suppressa est particula, eo vel illuc. Plenius erat *redigam* eo, *ut* etc. vid. Lambert. Bos. loco hoc Terentii citato.

V. 78. *Adeo depexum, ut* etc. Plaut. Men. V, 7, 28. „*Pecte* pugnis." Not. Taubmann. *Pectere* est multare, hinc *depectere*, malum aut infortunium alteri dare. Allegat isdem nostrum locum.

V. 80. *viduae*, desertae, aut viro orbatae. Cf. Phorm. V, 8, 20.

ACTUS V. SCENA II.

V. 1. 2. *Itane tandem — est — ut pater* etc. Sic *Itane* continuationem ostendit post scenam modo communicati, Phorm. II, 2. Unde vero hoc sciverit Clitipho? Ab alio nemine, opinor, nisi ab Menedemo, qui putandus est mandatum Chremetis, secundum prior. scen. v. 70, filio exposuisse. Sed nullibi locus est, ubi hoc diceret Menedemus Clitiphoni, nec a peccato absolvitur Poeta.

V. 3. *admisi.* Sensu malo, quo quidem hoc verb. usurpant. Quod hic per se intelligitur, *sceleris* adposito; sed absolute quoque est particip. *admissum*, pro, scelus admissum, Ovid. Heroid. 17, 45. Id. Trist. V, 12, 18.

V. 7. *q. m. incusas.* Verb. *incusare* i. q. reprehendere mores alterius, contra accusare, apud judices. L. Vall. 6, 13.

V. 8. *tibi prospexi.* Priscianus quidem, memorato hoc, in usu esse ponit *prospicio* et provideo, illi et illum; sed vix audiendus est purus ille grammaticus, omissa diversae syntaxeos significatione.

V. 14. *Ibi tuae stultitiae* etc. Simili locutione Sostrata utitur, supra IV, 1, 33.

V. 16. *Satius quam te* etc. Coelium patrem Chremeti Terentiano, ut videtur, similem Cicero inducit in orat. p. Coel. 16. discrimine eo, ut ille immerito, hic merito invehi in juvenem putetur. Praeterea Chremes pater exheredare filium perditum dissolutumque minime vetabatur. Nam lex est Solonis: Ἐάν τις τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς, ἄτιμος ἔστω. Diog. Laert. Solon. VII.

V. 18. *Emori.* Priscianus p. 554. pro *emori* satius esse *mori* existimat.

quid sit viv. Magnum est verbum, *quid sit vivere.* Huic comparandum illud, *vere vivitur*, supra I, 1, 102.

V. 23. *precator. par.* Symmach. epp. II, 80. ut eum pectori tuo non aspernandus *precator* insinuem.

V. 24. *Nec tibi, nec tibi.* Sic diversis personis Horat. Sat. II, 3, 172. etc. „postquam *te*, Aule, *te*, Tiberi" etc. Et Ter. Andr. II, 2, 12.

V. 25. *Cl. quid? Sy. unde.* Be. refingit: *Cl. quid, Syre? Syr. unde* etc. *Syre* absorptum esse a literis *Syr.* opinans.

V. 27. *periculum a fame.* Recte. Nam in civitate Atheniens. nothi fratres ab hereditate excludebantur; vid. Scholiast. Aristophan., ad Vesp. v. 581. Syntax. *peric. a fame* cf. Hec. V, 1, 10. Ablativus comici pro genitivo, Andr. IV, 1, 58. Adelph. IV, 2, 2.

V. 32. *Quid id ergo? S. sic est* etc. Clitipho non intelligit, quid dicat Syrus. Idcirco haec, quae hoc versu contineautur, maxime opinor posita esse in gestu ac vultu dicentis, qui, *horum* pronuntiato, aedes proximas Chremetis vel oculis vel digito monstret, *horum* h. e. parentum indicaturus.

V. 43. *scibis*, antique pro scies, Promiscue utitur Terentius verbor. formis eorundem diversis, ut *experibere*, experiere; potesse pro posse etc. ut pateat, quo antiquioribus temporibus, eo minus discrimina formarum servata esse. Huius testes sunt Pacuvius, Ennius, Plautus, al. liberius loquentes ac dissolutius. Alia tempora cum Cicerone exoriebantur purioris, nec vagi Latini sermonis. Plura vid. ad Hec. II, 2, 4. quae adnotavimus.

V. 49. *Eum mihi precatorem paro.* Etsi Chremes supra v. 23. dixerat: Nec *precatorem paraveris;* tamen *nihil fidei* domino servus habebit.

ACTUS V. SCENA III.

V. 1. Instructa Sostrata intrat de re ante acta.

V. 4. *mulier esse.* Scaliger ad T. Varr. de L. L. VI. p. 93. „*Mulier es.* Hoc enim convicio irati dimittebant a se mulieres, sicut et hodie quoque solemus facere in communi vita."

V. 7. *confidenter.* Plin. III, 9. „Qui *confidenter* agit, dubium est, audacia confirmetur, an conscientia."

V. 9. *postul.* A. Popma, de differ. verb. IV. „*postulare,*" inquit, „est jure repetere, unde et pro agere in judicio sumitur."

V. 12. *Subditum se suspicatur.* Unde hoc tam subito mater audivit? Haec autem non vana est quaestio; nam modo, proxim. scen. 2. vers. 32. injecta erat Clitiphoni illa suspicio. Ergo ut abstergatur haec labes, placebit legere *suspicetur* pro *suspicatur*, etiam ob id, quod sequitur, *erit.*

V. 14. *meum non esse filium.* Explicitius Cicero in Verr. II, 3, 69. „*qui est* tuus natura *filius.*"

V. 17. *consimilis moribus* etc. Ovid. ex Pont. II, 8. „Perque tibi *similem - natum, Moribus* agnosci *qui tuus esse* potest.“

V. 21. *rem, cum videas, censes.* Utcunque explicetur, locus est difficilis. Inde lectionem, si explicatio manca est, aggredior, ut *rem* mutare ausim in *eum.* Nam dicitur, *censere* non solum capita hominum, sed etiam homines ipsos; et Cic. Arch. 5. „*eum*, qui sit census.“ Tropice hic esset, a censu translatum: ex vultu hominem *censere*, qualis sit.

ACTUS V. SCENA IV.

V. 3. *te miserescat mei.* Verb. personale quod dicunt, *miserescat* a *miseresco*, construitur cum genitivo rei et accusativo personae, itidem ut impersonale *miseret*, vel *misertum est.* Heaut. III, 1, 54. IV, 5, 1. Add. Zumpt. gr. lat. §. 73.

inopis mei. Audiendus est Schulzius, gr. lat. §. 95. qui τὸ *inopis* existimat explanatum per *mei.*

V. 6. *sum* sc. alienus. Haud dissimilia Admeti sunt in Euripid. Alcest. v. 645. καὶ μ' οὐ νομίζω παῖδα σὸν πεφυκέναι. Ita Clitipho spurium filium se opinatur seu subditum. Copiam verborum s. dictionum animadverte in una re, *alienum te esse*, 3, 12. *subditum*, 2, 43. *cuius sis*, ibid. v. 32. *non esse horum te.*

V. 7. *Ita mihi atque huic sis superstes* etc. Brisson. de Form. VIII, 3. „Mos jurandi per salutem liberorum. Parentum jusjurandum, ut *superstites* liberos sibi relinquerent.“

huic, patri, qui adstat. Sic jurare pietas jubebat. Senec. Controvers. IV, 4. „ita mihi, superstite filio, mori liceat.“

V. 13. *istuc nostris inimicis sit.* Male cupere hostibus vel inimicis, solitum erat. Hor. III, 27, 21—22.

V. 15. *Deos nescio.* Ne quis offendat in hoc verbo. Ubi enim, putat, homines juvant, ibi non requirendi sunt Dii. Id declarabitur etiam dicto, quod est in Adelph. IV, 5, 59.

V. 19. *hac*, sc. matre, *praesente verbum turpe?* Merito filius a patre monetur, ne obliviscatur reverentiae matris. Quinctilian. XI, 1. Etiam de reverentia filiorum certe apud Roman. constat matres Corneliam Gracchis, Aureliam Caesari, Atiam Augusto educandis ipsas praefuisse. Nec id

omittendum est, quod ex Ciceron. Dialog. de orat. c. 28. huc referatur: „Eligebatur — aliqua major natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis cuiuspiam familiae soboles committeretur, coram qua neque *dicere* fas erat, quod *turpe dictu*, neque *facere*, quod inhonestum factu diceretur.“ Ex his vero, sicut aliunde, videre licet, quantum attigerit Terentius mores Romanorum honestos, et quantum in hac re personae ejus antecellant Plautinis.

ACTUS V. SCENA V.

V. 5. *pater, obsecro mihi ignoscas.* Similis filius Clitipho est Pamphilo in Andria, V, 3, 22. ac fere eadem petit a patre, quae ille a suo.

V. 6. *Sine te exorem;* cf. Andr. V, 3, 24. 30. Tò *sine* absque conjunctione, ut. *egone mea bona* etc. cf. Andr. V, 3, 23. Utrobique est *egone* cum indignatione intelligendum et enuntiandum.

V. 7. *si me viv. vis, pater;* cf. Andr. V, 3, 29. Quis est, quem non moveat in utroque loco precantis filii instantia?

V. 11. *pater, omnia faciam, impera;* cf. Andr. V, 3, 26. Quodsi, quae hic legantur, contulerimus cum illis in Andria, facile perspiciemus, Poetam nil novi invenisse, sed eosdem fere mores patrum, filiorum, et amicorum observasse ac retinuisse.

V. 12. *ad me recipio.* Plaut. Mil. gl. II, 2, 75. 76. „dico et *recipio Ad me.*“ Est autem *recipere ad* se, pro, periculo suo promittere fore, ut hoc vel illud conficiatur.

V. 13. *Clitipho.* Observandum est, Terentium nomina *Clitipho*, Antipho, Demipho etc. absque lit. n finali adhibuisse, pro Ctesiphon, Antiphon, Demiphon, quemadmodum Xenophon, Agamemnon, Hephaestion, aliaque ejusd. terminationis in usu esse constat. Atque Charisius, non postremus grammaticorum, putat Latinam magis Nostrum quam Graecam declinationem esse secutum. Copiosus est in hac re H. Stephanus in opusculo de abusu linguae graecae cap. 3.

V. 18. *Caesiam.* Catull. 45, 7. „Virgo rufa et *caesia.*“ Talis profecto non pulcherrima. Quid omnino de pulchritudine puellarum seculo probetur, quid non, de hoc vide ibid. carm. 43. Add. Terent. Hec. III, 4, 26. Ovidius non uno loco, judex elegans feminarum.

adunco naso. Aristaenet. ep. I. *ῥὶς εὐθεῖα*, nasus rectus, pulchritudini feminarum adnumeratur; *aduncus* ergo *nasus* est odiosus.

V. 19. *animum ibi esse.* Similiter Plaut. Cist. II, 1, 6. „ubi non sum, *ibi est animus.*" Notum est, vocula *ibi* modo rem externam, sive locum sive tempus, modo internam, ut animum hominis, denotari.

ADELPHI.

PROLOGUS.

V. 1. *Postquam poeta* etc. Hunc prologum non primum esse conjicimus, sed secundum, cum prima vice esset fabula Adelphor. exacta. Nam unde Poeta adversarium expertus esset, nisi prima comoedia Adelphorum audita? In ead. perstat sententia Osannus, Analect. crit. p. 140.

V. 6. *Synapothnescontes.* Sic inscribebatur comoedia Diphili, poetae Graecorum. Cuius autem haec fabula argumenti fuerit, nescimus. Nisi forte Diphilus summam ejus in eo posuerit, quod verba Euripidis indicant, Ἱκετιδ. 1008 — 10. ἥδιστος γάρτοι θάνατος, συνθνήσκειν θνήσκουσι φίλοις, εἰ δαίμων τάδε δὴ κραίνοι. Sed illius comici, etiam Adelphi inscripta comoedia memoratur in Athenaei Deipnosoph. lib. XI. his verbis: Δίφιλος ἐν ἀδελφοῖς εἴρηκεν. Et ibid. lib. XIII. „Δίφιλος ὁ κωμῳδοποιὸς, Diphilus poeta comicus." Quem vero, si Alciphroni aliquam fidem tribuamus, satis acriter, quos in theatro induxerit homines, perstrinxisse credibile est. Vid. Alciphr. opp. I, 29; ubi in notis Diphili, comici poetae, ut a Terentio commemorati, mentio fit.

V. 11. *verb. de verbo.* Terentii Adelphorum principium Varro testatur idem esse, quod Menandri. Quodsi hodieque totum Menandrum haberemus, facile cognitu esset, quid Terentius sua arte produxisset, quid deberet alienae.

V. 15. *hom. nobiles.* Scipionem African. significari vulgo notant, et Laelium ac Furium Publium. Scipionem quidem Claudianus poeta et belli et literarum artibus praedicat exornatum; v. Stilich. praefat. Quanti et *Laelius* una cum Scipione aestimaretur a civibus suis, huius rei plures, praeter Ciceronem, testes sunt. Vid. Cic. de Senect. Sed verba, *Furium Publium*, unde Donatus addiderit, vix erui potest.

V. 15. 16. *homines nobiles Eum*, Terentium, *adjutare* etc. Ea veterum opinio erat. Ut unum Quinctilianum audiamus, Instit. X, 1. „licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur“ etc.

V. 20. *in bello, in otio, in negotio.* Quae fere eadem sunt Tibulli, IV, 1, 39. „castrisve forove.“ Ciceronis praesertim usus loquendi est, ut, si alicubi de bello agatur, vocem *otii* contra adhibeat, pro pace.

V. 23. *Senes qui primi* etc. *hi partem* etc. Hoc quid valeat, vid. ap. Boettiger. de actoribus primarum, secundarum et tertiar. partium in fabulis. ed. Vimar. 1797. 4.

ACTUS I. SCENA I.

Micio. Huius nominis Drakenborch ad Liv. 43, 7. accumulavit alias plures formationes, etiam nostrum locum spectans his verbis: „*Micio* a Terentio inducitur in Adelphis.“

V. 5. *in animo cogit.* Liv. 43, 51. „apud *animum cogitare.*“

V. 9. *Et tibi bene esse soli.* Pers. Sat. IV, 28. „hoc *bene sit.*“ Lubinus ita: „quod mihi meaeque familiae dii *bene* vertant.“ Et Plin. epp. V, 18. humanissimo animo ac benigno: „*Bene est* mihi, quia *tibi bene est.*“ Ita locutionem latinam, *bene esse*, cum Dativo, recte amplectimur. Cf. Heaut. V, 2, 6.

sibi cum sit male. Senec. ep. 82. „*Male tibi esse* malo, quam molliter.“

V. 10. *Ego, quia non rediit.* Bochart. Hieroz. II, 1. hoc loco citato: „Parentes hic timor semper tenet anxios. Ut Ovidius ait in epist. Penelop. „„Res est solliciti plena timoris amor.““ Hoc sane adeo in veritate situm est, ut nulla opus sit explicatione.

V. 14. *quam ipse est sibi.* Quid sit, anxium animi esse de altero, Plinius declarat epp. III, 17. amicissimo suo quid acciderit, sollicitus.

V. 17. *vitam urbanam.* Qua qui utuntur *vita*, commode Graecis κομψότεροι dici solent. Nam κομψὸς proprie homo ab ornatu appellatur ac vestitu, qui elegans est et venustus; deinde a moribus, si quis festivus est, jucundus, facetus. Cuiusmodi esse agitur persona Micionis. Vidend. est Kuinoel ad Demetrii Cydonii, de contemnend. mort. Κεφ. A. §. 4. E contrario est.

V. 20. *Ruri ag. vit.* Graecis est ἄγροικος, homo et ruris habitans, et moribus asper. Quod vero utrumque cadit in Demeam.

V. 22. *majorem adoptavi mihi.* Adoptione fiebat, ut

heredem quis suum faceret, quem adoptaverat. Sallust. Cat. 5. — „statimque *adoptavit* (Micipsa Iugurtham) et testamento pariter cum filiis heredem instituit.“ Ritum adoptandi ipsum, in Heinecc. Syntagm. lib. I. Tit. 11. §. 15. descriptum, brevitatis causa praetereo.

V. 23. *Eduxi a parvulo.* Itid. Liv. 1, 39. „et puerum, ut in domo *a parvo eductum*“ etc. Ubi simul de variante lect. *eductum*, *educatum*, Rhenani amplectenda est nota haec: „Porro non erat opus, *eductum*, quod in antiquo libro legitur, in *educatum* mutare, quando Terentius Adelph. act. I. sc. 1. v. 23. usurpat *educere* pro *educare*. *Eduxit*, inquit, *a parvulo*.“ Haec Rhenanus super hoc loco; nec minus Bentlejus *educere* verbum Terentio ubivis censuit adjudicandum.

V. 24. *In eo me oblecto.* Est *in* pro parelco sumendum. A. Popma, II, 10.

V. 25. *item.* Scilicet ut ille aeque se in me oblectet. Quis est, qui non tenerrimo Micionis animo spectato ipse moveatur? Adeo Terentius elucet poeta humanissimus.

V. 37. *Cur potat?* Popma: „*Potare* est affluenter et ad ebrietatem potione repleri; ita bibunt sobrii, *potant* ebriosi.“

cur amat? Cur potat? cur etc. Haud fere aliter Alexand. Severus: „Milites romani — *amant*, *potant*, lavant, Graecorum more etiam quidam se instituunt.“ Ut Sallustium addamus, Jug. 81. ubi Marius contra nobilitatem se exserit ita: „Quin ergo quod juvat, quod carum aestumant, id semper faciant: *ament*, *potent*.“ Adnumerat talia Plautus, Bacch. IV, 10, 6. „Duxi, habui scortum, *potavi*, dedi, donavi.“ Ibidem paulo ante: „Neque placitant mores.“

V. 39. *durus.* Cic. de Offic. I, 35. — „duo maxime sunt fugienda: ne quid effeminatum, aut molle, et ne quid *durum* aut rusticum sit.“ Patet ergo ex oppositis, quid sit *durum*.

nim. durus, saevus, pertinax; vid. Hor. Sat. I, 7, 6.

V. 41. *Qui — credat.* Recte *credat*. Non est enim, qui vere credit, sed mente tantum sumitur quis, qui *credat*. Ramshorn. gr. lat. §. 166.

V. 46. *rurs. ad ingen. redit.* Hoc in proverbium vulgare abiisse videtur; v. Erasm. Itid. Liv. II, 22. „Volscis *rediit ingenium*.“ Alibi item.

V. 49. Hunc versum Ter. Varro descriptum refert ita: „Satius esse, *sua sponte recte facere*“ etc. Sed unde *satius* pro *potius*? Haud dubie visus sibi est Varro ex his versibus 49. 50. *satius*, Terentii verbum, reddidisse. Hac autem data occasione non omittimus adnotare, quam saepe veteres in reddendis verbis aliorum lapsi fuerint memoria.

Eundem Varronem Popma arguit, in hoc memoriae peccatum incidisse. Locus est ille Varronis, in lib. de Lat. Lingua. IV.

V. 55. *salvum te adv. Demea, Gaud.* Priusquam Demeam spectatores viderint, audiunt iidem Micionis salutationem urbanam, quam ille rusticus propter animi impotentiam neglexit. Si qui sunt tironum, qui non observarint Terentii versus a Bentlejo ternis accentibus distinctos, exhibemus hunc, instar omnium:

Jurgábit, salvom te ádvenire, Démea. — Idem senarius, per unam synaloepham, *tĕad*, sine negotio recitabitur. Multo autem per ceteros omnes liberius est ac solutius dramaticum genus, quam epicum. Et comoediae erant vitae adeo accommodatae communi, ut in usu eam ac sermone exprimerent. Inde tam innumerae in versibus compositis licentiae poetarum. Sed si quis re metrica Terentii velit se expedire, adeat Bentlejum praesertim, et initia quae huius notata sunt, Ramshorn. gram. lat. §. 218.

ACTUS I. SCENA II.

V. 7. *modo quid designavit?* Quid male perpetravit? Re ipsa non minus intemperanter Agrippina, Tacit. An. 13, 13. „Neque poenitentiam *filii* aut satietatem opperiri: quantoque foediora exprobrabat, acrius accendere, donec, vi amoris subactus, exueret obsequium *in matrem*, Senecaeque permitteret.“ Haud secus Demea pater in Aeschinum.

V. 8. *Fores effregit.* His verbis Cic. in Verr. II, 4, 44. „*fores* aedis *effringunt.*“

V. 10. *Mulcavit*, cf. Eun. IV, 7, 4. Al. script. *Multavit.*

eripuit mulierem. Turbae inde fiunt. Verisimile est, raptum mulieris, locum esse de Diphilo desumtum; conf. Prol. v. 6. Diphili comici Ἀδελφοὶ, ap. Athenaeum, lib. XI.

V. 13. *in ore est omni pop.* Divulgata facinora ejus sunt. Cic. in Verr. II, 1, 46. „istius nequitiam — in *ore* vulgi, atque in communibus proverbiis esse versatam.“ Pers. Sat. I. „*os* populi.“ Add. Casaub. τὸ διὰ στόματος εἶναι.

V. 22. 23. *fores Effringere.* Itid. Hor. Sat. 1, 2, 128. „Janua *frangatur* amantis impetu.“ Diceremus Horatium ante oculos propositum sibi habuisse illud Terentianum, nisi idem alibi quoque et dictum et factum constaret.

neque ego, neque tu fecimus. Dixit *fecimus* in plurali num. non propter *neque* duplicatum, sed quia duo pronomina sunt *ego* et *tu*. Sine causa dubitat Zumptius propter *neque*,

particulam disjungendi, bis positam; vid. gr. latin. Nam etiamsi non fuisset *neque*, tamen ponendum erat *fecimus*, non, feci, non, fecisti. Praeterea notetur, pronomen et verbum, *tu fecimus*, proxime juxta se posita, diversis personis non convenire. Itid. Hor. A. 272. — „*Ego* et *vos scimus*." Persona prima praemittitur *ego*.

V. 26. *unde id fieret.* Sic latine, pro, unde hic sumtus fieret. Nam facere sumtum, dicitur active.

V. 29. *te exspectatum.* Quorum mors exspectatur, nisi forte vel optatur, ii ipsi dicuntur *exspectati*. Pers. Sat. II. „patrui praeclarum funus." Adnot. Casaubon. „Huiusmodi impia vota Romae tum frequentia: „neque ulla de re saepius consulebantur astrologi." Juvenalis, in Sat. IV. „Consulis ictericae lento de funere matris: Ante tamen de te Tanaquil tua, quando sororem Efferat et patruos." Quod vix aliter tempore Terentii. Add. Hor. Sat. I, 1, 84. Et Liv. 40, 54. — „aliis *exspectantibus* suam mortem" etc.

ejecisset foras. Cic. p. Rosc. A. 8. „nudum *ejicit* domo atque focis patriis." Itid. Plaut. Asin. 1, 2. „*foras* aedibus *ejici*."

V. 30. *Alieniore aetate* etc. Mirum, quam liberaliter Micio partes et juventutis et senectae tueatur atque defendat. Inde merito Erasmus: „Sic agit suorum nepotum causam apud Terentium Micio."

V. 33. *ne me obtundas* etc. Plenius idem Cic. de orat. II, 3. — „his potius tradam (hominem, qui ad dicendum instituatur) assiduis uno opere eandem incudem diem noctemque *tundentibus*." Metaphorice dictum per se intelligitur.

V. 35. *Is meus est factus.* De pronom. *meus*, ceterisque, quae dicunt, possessivis cf. acutissime cogitata Prisciani, libro decimo septimo.

V. 36. *mihi pecc.* i. e. periculo meo p.

V. 37. *olet unguenta.* Itid. Plaut. Most. I, 1, 41. Non *unguenta* citat Varro Terentii, sed *unguentum*. Falso. Namque Micio, de sumtu majore, verius *unguenta* dixisse videtur, quam *unguentum*.

olet unguenta? Per interrogationem haec verba satius arbitror elata, ut Micio Demeae, secundum sc. I, v. 36. tam acerbe roganti aeque respondeat. Hoc enim quoque, juvenem *unguenta olere*, Demea putandus est objecisse fratri, cum scen. 1, v. 36. in cetera erumperet: *Cur perdis* etc. *cur amat?* etc.

olet, in utramque partem, et suavi et foedo odore. Hor. Sat. I, 2, 27. „Pastillos Rufillus *olet.*“ H. l. ut unctus suavior sentiatur.

de meo. Cum verbo, *de meo*, Micio responsum dat ad interrogata priora, *Obsonat? potat? olet unguenta?* Haec omnia, sic dicere vult, poterit Aeschinus *de meo* h. e. sumtu meo, seu pecuniam me subministrante. Hac ratione habemus explicatum etiam versum posteriorem, *Amat? Dabitur* etc. Quod distinctionem verborum attinet, editores non in una conveniunt. Nam Muretus edidit *olet unguenta de meo*, continuatim; Bothe: *olet unguenta? de meo;* Bentlejus: *olet unguenta; de meo.* Schmieder legit: unguenta de meo? *dabitur a me*, sed non habet, quo nitatur cum sua lectione. Ut Brunsium addamus, ex codice Halensi edentem haec: *Obsonat, potat, olet unguenta de meo. Amat. dabitur ei argentum* etc.

Unguenta consistebant oleo pretiosissimo, aut odoribus florum suavissimis. Homer. Il. XIV, 170. Etiam circa, et post Terentii aetatem *uncti* homines volebant pro splendidis elegantibusque haberi. Cic. Attic. XII, 6. Brut. 20. Et Casaubon. ad Pers. Sat. III, v. 213. „*Unguentum* curat conficiendum e casia, praesertim nigra, pretiosissimum; omnia autem unguenta fiunt mixto olivo.“ Martialis epigr. Xen. 121. „*Unguentum* heredi nunquam, nec vina relinquas“ etc. Utrumque horum inter sumtus non exiguos referri solitum.

de meo. Elliptica locutio. Sic Liv. IV, 59. „*de* suo;“ quum nimirum miles romanus, prius quam de publico acciperet stipendium, de suo quisque functus militiae munere esset. Nec minus elliptice ibidem c. 60. „ex alieno.“ Quod librarius, „aere“ inserto, perperam supplevit.

V. 42. *unde haec fiant.* Notandum est, Latine quid significet locutio: unde fit, unde fiunt? Nihil aliud, quam posse quid, aut valere de re sua familiari. Cato R. R. 6, 4. „unde siet, *unde* corbulae *fiant.*“ Cic. Verr. II, 3, 39. „impositis ita magnis decumis, ut ipsis reliqui nihil *fieret.*“ Loc. hic Terent. adfert. Grotefend. gr. lat. §. 236, ubi vide. Nos autem explicamus: Superest tantum, quantum ad sumtus hos faciendos sufficiat.

V. 43. *desine.* Hoc est, criminationibus desiste. Merito hoc postulat ab injurio fratre, qui jura patris, adoptione perfecta, rite concesserat Micioni. Ut Heineccium audiamus, qui dicit: „patria potestas olim erat effectum (?) adoptionis.“ Antiq. rom. I, 11, 19.

V. 47. *abiero.* Atticorum more pro aoristo, quo urbanius utatur. Ramshorn. gr. lat. §. 164.

V. 52. *Reposcere.* Ex legibus Solonis, non poterat, qui erat semel adoptatus, ad patris veri potestatem redire. Id si tamen fiebat, postulabat lex, ut in locum amissi alius sufficeretur, qui patris adoptantis nomina ac bona, morte relicta, acciperet. Qua lege cautum erat, ne civium numerus in republica Atheniensium minueretur.

V. 54. *Profundat.* „*Profusus* supra modum sumtuosus dicebatur.“ Festus. Ceterum acerba est oratio Demeae, una cum fastidio: *Profundat*, *perdat*, *pereat.* Huic conferenda in Andria Simonis, — *habeat*, *valeat*, *vivat cum illa*, V, 3, 18. Sanctius, in Minerva etc. I, 13. de modis verborum, disserens, ut assolet, accuratissime, docet, Terentii verba, *Profundat*, *pereat*, *perdat*, proferri, secundum quosdam, modo permissivo.

V. 55. *si verbum ull. posth.* Absque ellipsi, Plaut. Men. I, 2, 47. „si *ullum verbum* faxo.“

V. 61. *Nec nihil, nec omnia* etc. Per ellipsin Popma exponit, verum, seu vera intelligi. Sed nos animadvertimus, latine pronomina, *haec*, *quae*, emphatice esse sumenda, pro, ita ut. Nam minus recte diceretur: *haec* non ita sunt, ut dixit ille. Ea vis pronominum optime est ex Ciceronis usu perdiscenda. Sensum capimus his verbis: Nec credo nihil esse, quod dicit, nec omnia eo modo, quo dicit.

V. 66. *iracundiae.* Cum Donatus *iracundiam* definit esse, a natura, iram a tempore; hanc vocis definitionem e Ciceronis desumsisse sibi videtur opere, de Offic. lib. 1. cap. 25.

V. 70. *Aliquid.* Taubm. ad Plaut. Curc. II, 3. „*Aliquid*, incertum est, quiddam, certum.“ *postremo.* Deest, tamen.

ACTUS II. SCENA I.

V. 1. *populares.* Ex notatione Mureti, populares sunt, more Atheniensium, οἱ δημόται, qui sunt ejusdem δήμου i. e. populi, pagi, sive curiae. Versus tetramet. trochaicus acatalecticus, sicut inde secundus et tertius. Caesurae cadunt in mediis singulis, post *ferte*, *inopi*, *pericli'st.*

V. 3. *nunquam* pro non. Nisi malumus: ne unum quidem impune tentabis.

V. 7. *Leno ego sum.* Senec. de benefic. VII, 4. *Leno* est, cuius prostitutae sunt, quae lucri et quaestus causa alantur.

V. 8. *Tu quod te posterius purges* etc. Usitata haec apud Romanos injuriae factae est satisfactio. Nam, ex Liv.

29, 9. Locrensibus a senatu responsum est, quas injurias sibi factas quererentur, nec senatum nec populum factas velle. At quaerat aliquis: quid satisfactionis est, dixisse: id factum nolui? Exigua illi profecto, qui injuriam accepit passusque est. Cum hac nostra explicatione consentit Terentianum illud, Hec. V, 1, 16. „*Nam qui post factam injuriam*“ etc. Vox, *posterius*, pro adverbio, Cornel. Paus. 5. Cic. Brut. 83.

V. 10. *mihi-malefac.* cf. Ramsh. gr. lat. §. 121.

V. 17. *pugnus.* Cic. Or. 32. „Cum compresserat digitos, *pugnumque* fecerat.“ Inde, quid *pugnus* sit, nemo porro interrogabit.

V. 20. *in istam partem pot. pecc. tamen.* Liv. III, 55. „ita malle, si modus excedendus esset, suis, quam adversariis“ etc. Quem locum Gronovius nostro jubet comparari. Parmeno plus uno duobusve pugnis impegerit Sannioni, quam jusserat dominus. Quare is dicit: *Non innueram.* Plus fecisti, quam volui. Tamen non poenitet, nimium quid in hoc fecisse.

V. 21. *regnumne — hic tu possid.* Haud discrepat illud Xenoph. Cyrop. 1, 4. σὺ γὰρ νῦν γε ἡμῶν ἔοικας βασιλεὺς εἶναι. Not. Zeune: Haec est ironia, ex indignatione orta. Dicitur de eo, qui contra fas, invito altero, tamen aliquid perficere cupit. Cic. p. Sulla, 8. „nisi forte regium tibi videtur, ita vivere, ut non modo homini nemini, sed etc. servias.“

quid hoc rei est? Locutio est summe mirantium. Recte autem judicat Sannio, causam unius fratrum discernendam esse ab alterius.

V. 22. *ornatus — ex tuis virtutibus.* Abusive. Honestissima oratio, in re turpi. Plaut. Capt. V, 3, 20. „*ornatus* haud *ex* suis *virtutibus.*“

V. 24. *tui quicquam.* Huc respexit Heusinger ad Cic. de Offic. 1, 31. „Quid quisque habeat *sui.*“ Notat, graecismum esse, quid *sui* pro quid suum. Hor. Od. IV, 13, 18. „Quid habes illius.“ Nec tamen obliviscamur, quid et *quicquam* partitiva esse, quae dicunt, Latine cum genitivo alterius nominis construenda.

V. 26. *ante aedes — convicium.* Cic. Verr. II, 5, 11. „Erant autem convivia (Verris) cum magno clamore atque *convicio.*“ „*Convicium* a vox ducitur, quasi convocium. Et est proprie inordinatus clamor, voces multorum inter se collisae.“ Fabri Thes.

V. 28. *Usque ad necem oper. loris* etc. Demosth. or. d. Chersones. διαφέρει δέ τί, quid interest, (inter liberum et

servum) ὅτι ἔστιν ἐλευθέρῳ μὲν ἀνθρώπῳ μεγίστη ἀνάγκη ἡ ὑπὲρ τῶν γιγνομένων αἰσχύνη — δούλῳ δὲ πληγαὶ καὶ ὁ τοῦ σώματος αἰκισμός.

V. 29. *impurum.* Cic. ad Attic. 9, 15. „illum — etiam *impurum* et sceleratum puto." Qui *homo impurus* est, integer esse desinit, qui debebat.

libertat. — aequam. Sensus, Non tibi plus juris est, in me dominari, quam mihi est, in te. Utrique nos cives sumus aequales. Liv. III, 31. „quaeque *aequandae libertatis* essent." Ibi vid. Drakenborch.

V. 31. *mitte.* Sic poetarum more pro, omitte, ut Valer. Flacc. 1, 741. „*Mitte* metus." Ita alibi centies, ipsa in oratione scriptorum soluta.

V. 35. *Perjurus.* Plaut. Pseud. IV, 6, 19. — „verba quae in comoediis Solent *lenoni* dici, quae pueri sciunt, Malum et scelestum, *perjurum* ajebat esse me." Itidem Ballio leno notatur a Simone domino.

V. 36. *Nam h. etiam hoc restat.* Ironice hoc dicto, *id hercle restabat*, Cicero quoque usus est. Sensum Aeschini latere puto hunc: Malum duplicaretur tibi, leno, quando pejus hoc accederet, quod tu negas. Itid. in Andria, 1, 5, 66. *Ne ad morbum hoc etiam.* Plautinus si esset Aeschinus, dixisset expressius: Si tu mihi intulisses injuriam, non ita abires. Parcius loquitur Terentianus.

V. 40. *Nam ego* etc. Quae verba ipsius sunt formulae vindiciarum. Adeundus est Heineccius in Syntagm. lib. IV. Tit. 6. „Actiones de libertate, inquit, duae erant proditae. Aut enim quisquam alterum e servitute in libertatem, aut e libertate in servitutem vindicabat. Ille *liberali causa manu adserere*, hic in servitutem adserere dicebatur." Cum vero, id quod adjiciendum nobis videtur, homo aliquis, quo jure in libertatem, eo in servitutem vindicari non poterat; sequitur, causam lenonis pejorem esse quam Aeschini. Subit in mentem Appii causa filiae Virginii in servitutem vindicandae turpiter. Vid. Liv. III, 44 seqq.

V. 41. *caus. meditari*, praeparare te ad causam tuam agendam. Cic. de Offic. I, 40. ed. Heusing. 1783.

V. 42. *proh supreme Jupit.* Inter plura cognomina Jovis erat, *supremi.*

V. 43. *insan. occip. ex injuria.* Sic dicuntur, qui acceperunt injuriam. Itid. Liv. 7, 39. „*ex injuria insanientis* exercitus." Qui quidem exercitus aut acceperat aut accepisse injuriam putarat.

V. 44. *abduxit.* Hoc verbo, parum honesto, saepe utuntur. Sueton. Calig. 25. „e convivio *abduxisse* eam secum" etc. Scilicet „Liviam Orestillam C. Pisoni nuptam."

V. 45. *plus quingentos colaphos.* Cum ablativo casu, Plaut. Bacch. IV, 7, 20. „*plus* annis decem." Quod grammatici jubent, in voce numerandi, si *plus* antecedat, cessare ablativum comparationis, non unica lex est.

V. 46. *tantidem* sc. pretii. Per contemtum, tantulum. Plaut. Merc. II, 2, 43. 44. „decrepitus senex *Tantidem* est, quasi sit signum pictum in pariete."

V. 50. *cras redi.* Hac phrasi centies utuntur tardi vel morosi debitores.

ACTUS II. SCENA II.

V. 5. *vapulando.* Verb. *vapulare* Priscianus ait ex neutralibus esse passivum, ut sit *vapulo* a te, sicut veneo a te, exulo a te. lib. 8. p. 283.

V. 7. *os praebui.* Non aliter Graecor. παρέχειν πρόσωπον. Triller. observatt. p. 372. Tacit. lib. 19. „*Praebebant ora* contumeliis, et — cuncta victi patiebantur." Itid. fere Liv. IV, 35. — „*praebere* ad contumeliam *os.*" Drakenborch Terentii meminit collati.

V. 8. *Pecuniam in loco* etc. Hic versus jambicus est octonarius. Plures veterum grammaticorum persuasi sunt, Terentium ad exemplum Aristophanis aliorumque graecae gentis, prologos comoediarum trimetris versibus comprehendisse, cetera tetrametris longioribus.

V. 8. *Pecuniam in loco* etc. Priscianus graece explicat: καρτερεῖν τὰ παρόντα, apprehendere quae sunt in promtu.

V. 15. *novi tuum animum.* Sic fere item Cicero, ad Fam. II, 7. „*novi animum*, novi consilium *tuum.*" Differt verb. *novisse* a cognovisse. *Novi* enim aliquem, inde a praeterito tempore; cognovi, nunc demum, non antea.

V. 19. *hac spe.* Scilicet me miserum esse, ampliusq. futurum. Cf. *spero* v. 18.

inceper. moliti, machinati sunt.

V. 20. *Injeci scrupulum homini.* Hoc vero, *injicere scrupulum*, vid. inter Adagia Erasm. collecta. p. 754. cf. Phorm. V, 8, 61.

V. 21. *in ipso articulo*, in discrimine rerum. Angitur enim leno, seu maneat, seu abeat.

V. 24. *actum agam; ubi illinc rediero.* Alii inverso or-

dine legunt: *ubi illinc rediero, actum agam.* Quae *acta* res est, frustra redintegratur.

V. 27. *tum* sc. demum cum rediero.

V. 28. *ad rediturum.* Plurisne aestimanda mercatura sit, an amissa puella.

V. 34. *corradet*, corripiet. Sic Tacit. An. 13, 18. „undique pecunias quasi in subsidium corripere." Undecunque sit, corripere pecuniam.

V. 39. *Numq. vis quin abeam.* Hoc feré id. Plaut. Cist. 1, 1. fin.

V. 44. *Ctesiphonem.* Sic declinavit; aliter Cicero, de opt. orat. 9, 1. alius personae nomen *Ctesiphontem*, Demosthenis aequalem. Alii existimarunt, *Ctesiphonem* latine, Ctesiphontem graece esse declinatum. H. Stephan. de abusu lingu. graecae, ed. Kromayer. Berol. 1736.

ACTUS II. SCENA III.

V. 6. *Fratr. hom. nemini esse.* Alteram lection. *neminem* Goveanus ac Muretus putant libro Bembino niti. Sed pro confirmanda priori adferimus ex Cic. orat. p. Sulla, 8. „ut non modo *homini nemini*, sed" etc.

V. 11. *nil pote supra.* Haec locutio, verbo *pote*, plenior est, quam eadem in Andr. 1, 1, 93. *nil supra.* Itaque altera faciet ad alteram supplendam. *pote*, neutro genere sumendũm, a potĩs. Omittitur, est.

ACTUS II. SCENA IV.

V. 5. *in os laudare.* Quod Priscianus accipit pro, in ore. lib. 10. Platon. IX. de Legib. κατὰ τὸ στόμα, in conspectu, coram.

V. 7. *quasi nunc non norim. nos int. nos:* „Deest *nos* prius in libro vetere quodam, quod testatur Priscianus. Interprete Mureto, sensus est: quasi ne nunc quidem nos noverimus inter nos."

V. 13. *Ego ad forum ibo* etc. Muretus ex Bacchide Plauti locum, nescio quem, citat: „*Ego ad forum* hinc *ibo*, ut solvam militem."

V. 18. *irritatus.* In libro quodam *iratus*; pro certo habemus, ab incuria librariorum, aut compendio scribendi venisse. *Iratum* enim quemcunque alium civium appellaret, *ir-*

ritatum lenonem duntaxat vel servum. Latine videlicet canes *irritari* dicuntur.

V. 21. *lectulos*, triclinia. Nam quod, *sterni lectulos*, Syrus dicit, id indicio est, parari convivium. Eun. IV, 7, 46.

V. 23. *hil. hunc sumamus diem*. Itid. Plaut. Poen. V, 6. „ut *hunc* festum *diem* Habeamus *hilarem*.“ cf. Tibull. IV, 2, 4. „Hoc solemne sacrum multos haec (Sulpicia) *sumat* in annos.“ Hic, *hilarum diem*, infra V, 3, 56. *hilarum* hominem. Quod utrumque inter se differt, cum homo *hilarus* esse potest, non *dies*. Tamen etiam Germani usitate dicimus: *sich einen fröhlichen Tag machen*. Non abhorret Cic. 9. Tusc. 1, 42. „*hilara* vita.“ Rectius id. p. Cluent. 26. „*hilari* voltu.“ Anacreontis Od. 31. „*Ἱλαροὶ πίωμεν οἶνον*.“ Muret. leg. *hilarem*. Ex graeco autem etymo *hilarus* acceptius nobis videtur, quam *hilaris*.

ACTUS III. SCENA I.

V. 2. *dolores* sc. parturitionis, gr. *ὠδῖνες*. Est etiam hebraica vox ejusdem significatus.

V. 5. *Nec quem*. Alii subaudiunt magis, quam legunt, *habeo*. Qui ita supplent, illi *habeo* proxime praecedens non tenuerunt.

V. 9. *potissimum*. Plaut. Men. II, 3, 9. „*potissimus* amator.“ Hic *potissimum*, adverbialiter.

ACTUS III. SCENA II.

V. 14. *iram — evomam*. Talia effutit, quia rusticus.

V. 15. *Satis* i. q. par, auctore Charisio. Notamus hoc, ne desint, ad exprimenda ea, quae his versibus comprehendantur, gestus hominis supra modum insanientis.

dum illos ulciscar modo. Haec verba Bentlejus pro spuriis inclusit. Et causam damnationis profert, versum claudicare, nisi in *dum* synaloepha cesset, quod plane esset contra artem et Terentii morem. Quapropter hemistichium esse, ut mox v. 19. Utinam vir magnus versum minus curasset, tunc utrumque *dum*, in altero dimidio versuum gustasset.

V. 19. *Sublimem arrip*. Plaut. Mil. gl. v. 1378. „*rapite sublimem* foras.“ Et *medium* dicit, ut tota vi comprensus ne evadat.

V. 21. *Ceteros ruerem, agerem* etc. Non magis res terrent, quam verba minus urbani Terentii, ore quam ferocissimi servi digna. Quamquam poetae latini, inprimis Virgilius,

Ovidius, talis rei foedissimae descriptione saepe delectantur. Inest etiam verbis litera, r, sonitus satis horrendi.

V. 23. *Quisq. es, sine me.* Immodeste ac ferociter. Sed servi dicuntur currentes in via ab nebulonibus nonnunquam cohiberi ac retineri, ut domi ob retardationem vapularent. Andr. II, 2, 7.

V. 26. *periimus*, desperantis. Constat enim inter formulas esse, *periimus.* Brisson. de Form. VIII, 61. Sic in tragoediis Graecorum, *ἀπολλύμεθα.* Etsi verbum *periimus*, in tragoedia verius dictum putabitur, quam in comoedia, ubi ejusmodi hyperbolice.

V. 30. *Neq. id occulte fert.* Itid. Liv. 7, 39. *occultis* sermonibus *ferunt;* ubi Hearnius ex aliquot manuscriptis adnotat *serunt.* Verum, ut *ferunt* Livii esse statuatur, provocant interpretes ad hunc locum Terentii.

V. 34. *sine hac jurab. se* etc. Itid. Calpurn. Ecl. 3, 12. „Mella — *sine te jurabat* amara videri.“

V. 35. *in sui gremio.* Ex vet. Veneto: *in suo.* Refer *sui*, *suo* aut ad *patris*, aut ad *gremio.* Commodius est utrumque graece conjunctum, *ἐν τῷ ἑαυτοῦ κόλπῳ.*

Gremium, quid sit, v. Popm. de differ. verb. „Sinus appellatur quaecunque vestis laxitas, et proprie ea, quae ante pectus descendit supra cincturam, apta rebus occultandis et abscondendis“ etc. Aliquanto strictior Popmae definitio nobis videtur: „ante pectus;“ perinde ac si Romani cum toga sua non versus alias quoque partes corporis sinus convolverent. Sed si quid portandum, aut *gremio* complectendum evenerit, tunc Popmae assentimus.

V. 46. *Pejore res loco.* Sic Cic. ad Attic. III, 24. „— et tota *res quo loco sit*, velim ad me scribas.“ Senec. Benefic. 1, 10. „At ista stant *loco* eodem.“ Locutio fere est eadem Liv. 2, 47. „missis ad consules nuntiis, quo *loco res essent.*“ Add. verb. gladiatorum quod est, *loco* moveri, vel gradu depelli seu positione. Cic. in Catil. II, 1. Etiam revocat Drakenborch Terentii locum ad Liv. III, 68, §. 3. ubi Livii, aut potius concionantis Quinctii sunt verba: „At enim communis *res* per haec *loco est pejore.*“

V. 47. — *indotata est — secunda ei dos.* Pro interprete, Plauto utimur, Amph. II, 2, 209. „Non ego illam mihi dotem esse duco, quae dos dicitur, Sed pudicitiam et pudorem et sedatam cupidinem.“ Inde discimus, quid *indotata* sit, et *dos secunda.*

V. 50. Qui inde sequuntur perturbati versus, bene restituti maxime Mureto debentur.

V. 55. *respicit.* Dicuntur dii homines *respicere*, sicut potentior quis humiliorem.

ACTUS III. SCENA III.

V. 2. *in raptione.* Popma de Usu etc. — „multa duum generum et duplicis formae fuerunt, ut masculina et feminina, quae, us, et, io, similiter veteres dixerunt. Inter ea, Tacitus, *raptio* et raptus."

V. 5. *abduct. in gan.* Demea rusticus suspicatur sordida vel obscoena. Supra 1, 2, 15.

V. 15. *argent. adnumeravit.* Cic. in Verr. II, 2, 59. „utrum ipsae civitates solitae sint statuas tibi faciendas locare etc. an tibi, an cui tu imperasses, *adnumerare* pecuniam."

V. 22. *pisces cet. purga.* Plenius huiusmodi ministeria servis demandantur ap. Plaut. Stich. II, 3, 34. etc. „alii ligna caedite, Alii pisces depurgate" etc.

V. 23. *Congrum in aqua sinito ludere.* Aristoteles, Hist. animal. ϑ, Edit. mihi Bas. 1531. fol. 293. inter alia piscium genera *congrum* nominat, qui devoratis aliis maxime nutriatur. Post illos, quos memoravit paulo ante, ἀλληλοφαγοῦσι δὲ, inquit, πάντες — κεστρέως, μάλιστα τε οἱ γόγγροι. Ceterum in deliciis *congrum* veteribus fuisse constat.

V. 34. *psaltria.* Macrob. Sat. II, 1. — qui *psaltriam* intromitti peteret: „ut puella ex industria supra naturam mollior canora dulcedine et saltationis lubrico exerceret illecebris philosophantes." Ut talis mollissima puella austeritatem philosophantium artibus suis tentaret. Cf. infra 4, 30. IV, 7, 25. Vide quam multo alia consortia, convivia doctorum hominum ac sapientum, apud Platonem, Protag. §. 92. Qui quidem homines semet ipsis gaudeant inter se, sermonibus mutuo datis et acceptis, absque saltatricibus, psaltriis, et quacunque aliena voce ac sonitu facile carentes.

V. 36. 37. *inepta lenitas Patris.* Syrus, *inepta*, dicit. Tamen Ciceroni, ad Attic. 10, 4. *patris lenitas* probari videtur, prae nimia quidem severitate.

V. 43. *Prius olfecissem.* Cic. Verr. II, 2, 54. „— quid cuique accidisset — indagare et odorare solebat." Non, *prius olfecissem*, dixit, sed, *sex totis mensibus prius olfecissem.* Hoc proditur ingenium hominis, non qui sapit, sed

qui nimium sapere sibi videtur. Praeterea simplicitas Demeae facile decipitur adulatione Syri versutissimi.

V. 59. *Domi hab. unde discer.* Proverbiale hoc esse suspicor in hunc modum: Aliunde non expetendum, quod in promtu est.

V. 60. *Nihil praetermitto.* Haud secus Cic. ad Fam. 1, 5. „Nos *nihil*, quod ad rem pertineat, *praetermittimus.*“ *Praetermittere* ergo est, rem aliquam, ex his quas in praesentia habemus, mittere vel relinquere.

V. 61. *tanquam in speculum* etc. Non multum abest, quin Demea opinione sua praereptus, quod est in Apuleji Apologia 1., exclamet: „Habet speculum philosophus, possidet speculum philosophus.“ Et hoc exclamat ille, qui philosophus ipse esse fateatur. Cf. Hor. ad Pison. 318.

V. 73. *pro mea sapientia.* Ambigue dictum. Nam *sapit,* qui coquus est. Syrus autem de arte sua coquendi hariolatur non temere. Simul venit de verbo *sapere* nomen *sapientiae.*

V. 74. 75. *tanq. in specul. in patinas* etc. Per imitationem comicam senis. Congruit cum Terentiano illud Plaut. Most. 1, 1. „Exi e culina, sis, foras, mastigia, Qui mihi inter *patinas* exhibes argutias.“

V. 75. *quid facto usus sit.* Hac ead. utitur dictione Plautus, Stich. Prol. fin.

V. 78. *mentem vob. melior. dari.* Infinitiv. pro optativo modo: Utinam contingat vobis *mens melior.* Casaubon. ad Pers. Sat. II, 8. *Mentem* bonam sibi optare, ex formula fuit et consuetudine orantium.

V. 81. *quamobrem,* ad *is,* referendum, pro, cuius causa. Sic inculte loquentem Terentius facit Demeam.

V. 85. *Tribulis,* gr. ὁμόφυλος, romano more, qui de ead. tribu est urbis. Id jam diximus ante. Addimus autem ex Isocrat. or. Areopag. 18. ubi de urbe Athenarum, in tribus divisa, mentio fit, et agro in pagos. Verba ipsa sunt Isocratis: ἀλλὰ διελόμενοι τὴν μὲν πόλιν κατὰ κώμας, τὴν δὲ χώραν (agrum) κατὰ δήμους, ἐθεώρουν τὸν βίον τὸν ἑκάστου. Et Thucydides II, 34. de Atheniensibus bello occisis, quorum suos quaeque tribus, et quo modo sepeliendos curaret. Scribit enim: ἔνεστι δὲ (ἐν τῇ σκηνῇ) τὰ ὀστᾶ, ἧς ἕκαστος ἦν φυλῆς.

V. 88. *homo antiqua virt. ac fide.* Plaut. Trin. II, 2, 16. Senex ad adolescentem: „meo modo et moribus vivito *Antiquis.*“ Idem de moribus sui seculi his verbis: „Novi ego hoc seculum, moribus quibus sit: malus bonum malum Esse vult, ut sit sui similis“ etc. Sic Tacit. An. III, 4. „unicum

antiquitatis specimen." Qua quidem appellatione Agrippina honoratur a populo.

ACTUS III. SCENA IV.

V. 1. *dii immortal.* Exclamatio Ciceroni frequentata. Homer. Il. I, 406. *μάκαρες θεοί.*

V. 9. *In te spes omnis* etc. Speciem formulae habet Liv. 3, 26. „*Spes* unica imperii populi rom. L. Quinctius." Verum haec Terentiana locutio, *Spes* in aliquo *sita* vel posita *est*, haud ita rara est, quin eadem fere reperiatur aliorum. Virg. A. XII, 653. „*in te* suprema salus."

V. 14. 15. *salvere — jubeo.* Brisson. de Form. VIII, 64. „Etiam in aliis comoediis Plauti et Terentii, salus dicitur his verbis, *salve* et *salvere jubeo.*" Quod notetur hoc modo: Latini quidem *salvere*, quod Graecis est gaudere, *χαίρειν ἐᾶν*, *jubebunt*, quem prius non viderant. Cuius rei testis est Cicero epp. ad Attic. IV, 14. Quam epistolam finit his verbis: „Dionysium *jube salvere.* Cura ut valeas."

V. 24. *Persuas. nox, amor, vinum.* Nemesian. Ecl. III, 56. „Et Venerem jam *vina* movent." Haec tria saepe vocantur a veteribus, quibus excitetur sensuum voluptas.

V. 26. *lacrumans. Lacrumare* prae gaudio, quid sit, de ea re prolixus est Fischer ad Cornel. Nep. in Alcibiad. VI, 3. Sed huiusmodi *lacrumae* ex recordatione plerumque oriuntur prioris fortunae, aut miseriae ad praesentem felicitatem comparatae. Addendi sunt Lindenbrogius et Weitzius ad hunc locum.

V. 29. *mensis hic decimus.* cf. Hec. III, 3, 34. Hoc loco autem *decimus mensis* ultra justum tempus parturitionis exundare videri poterat. Sed judicem habeamus Censorinum, de die nat. 7. dicentem: „quoto post conceptionem infantes edi soleant, frequenter inter veteres agitatum, non convenit. Hippon Metapontinus a septimo ad *decimum mensem* nasci posse existimavit" etc. Ipsa scriptura sacra documento huius rei est, Salom. Sap. 7, 2. *Καὶ ἐν κοιλίᾳ μητρὸς ἐγλύφην σὰρξ δεκαμηνιαίῳ χρόνῳ.* Itid. Plaut. Stich. II, 1, 6. „Nam me illa in alvo *menses* gestavit *decem.*" Notemus ultimum, menses olim breviores fuisse, minime aliam naturam parturientium.

V. 30. *psaltriam.* Tunc *psaltriae* sambucistriaeque, et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis. Not. Drakenb. „*ψάλτρια* Graecis sicuti et Latinis fidicina dicitur, h. e.

quae instrumento musico, ex fidibus constante, pulsat seu cantat“ etc. Supra 3, 34.

V. 34. *ut captus servulorum est.* Al. leg. *servorum.* Jul. Caes. d. b. gall. IV, 3. „Ad alteram partem succedunt Ubii, quorum fuit civitas ampla atque florens, *ut est captus* Germanorum etc.“ Proinde, *ut est captus*, discitur esse, pro mediocritate fortunae, animi ingeniique.

V. 40. *differor dolorib.* Recte, *differor.* Nam ex Macrob. Sat. 7, 16. Junonis Lucinae munus est, „distendere rimas corporis“ etc.

V. 41. *Juno Lucina.* Cur *Lucina* vocetur, et invocetur a parturientibus, vid. ap. Macrob. Sat. 7, 16. Euripid. Phoeniss. v. 369—70. *δεινὸν γυναιξὶν αἱ δι' ὠδίνων γοναὶ* etc.

serva. Recte. *Servare* enim dii dicuntur Latinis, sicuti Graecis saepe iidem appellantur *σωτῆρες*. Ceterum hunc versum eundem esse, Andr. III, 1, 15. non miramur, cum haec formula invocandi Junonem omnibus parturientibus est communis. Vid. de ead. re, Andr. III, 1, 15.

V. 45. *vob. dec.* *Decet* cum dativo, non sine exemplis aliorum ac Ciceronis non semel. Vid. Edit. Lips. 1821.

V. 48. *a pueris parvulis.* Be. ed. *parvulis,* quod probatum recepimus in contextum. Nam dictione, *a pueris,* non satis dixisse videtur; adjicit, *parvulis,* ab ipsis pueritiae initiis. Vid. infra IV, 2, 24. Ad haec Nemesiani Ecl. II. (aut, secundum alios, Calpurnii Eclog. ead. IX.) *pueri* Idas et Alcon ardent formosam Donacen; ergo *pueri* adolescentes.

V. 56—58. *Quam vos facillime* — *Tam maxume* etc. Superlativus hic insolentior quam comparativus: Quo potentiores etc. Eo etc. Tamen Sallustius quoque dicit: „*Quam* quisque pessime fecit, tam *maxime* tutus est.“ Jug. 31, 14. Haecce constructio quidem, sed explicationem verborum praebemus Turnebi sic dicentis: bellissime est dictum locutione honesta et antiqua. „Nam *facile agitare* dicuntur divites, quibus facile nulloq. negotio omnia ad vitam degendam suppeditant.“ Sic nobis quoque videtur cum Turnebo.

V. 62. *Non me indicente.* Est, *indicente*, pro, non dicente, seu tacente. Vid. Gronov. ad Liv. 22, 39. Sic alii, nec Cicerone excepto, *indicta* causa, pro, causa non dicta. Idem dicit nescio quo loco, *in* praepositum pro alpha privativo esse Graecorum. Plene est, de Fin. II, 3. „etiam *non dicente* te.“

ACTUS III. SCENA V.

V. 4. 5. *Si est — sin aliter.* Tali partitione orationis, Hec. III, 5, 51. 21. Et syntaxis, *si est — ut*, cum conjunctivo, eadem est, Hec. loc. cit. *Si est*, *ut* velit. Nec alia ibid. IV, 1, 43. Perizon. ad Sanct. Min. I, 13.

De hac scena animadvertimus: Primum Geta jussus adduxerat Hegionem ad Sostratam, quam is consolaretur. Nunc ab ista ille egressus extrema loquitur.

ACTVS IV. SCENA I.

V. 3. *defatigarit;* al. *defatigaret.* Praestat huic prius, ob praesens temp. *velim.* Totum locum comprehendit Perizonius ad Sanct. Min. I, 13. his verbis: „Utinam quidem ita se *defatigarit*, velim;" quem explicat disponitque ita: *est*, quod *velim, utinam* etc. Sed quid esset, quod sic extricaret, sciret ipse Perizonius. Nos id tantum monemus, ne verba: *Ut triduo — nequeat surgere*, ut filii impii, in malam partem vertamus. Nam comice addit Ctesipho: „*Quod cum salute ejus fiat.*"

V. 7. *male* pro valde. Vid. Edit. m. Terent.

V. 8. *Quod si* etc. Dimeter versus, quam vocant clausulam. Eodem rhythmo sequitur posterior.

V. 13. *quid postea?* Disce formulam hanc, apud Plaut. Cist. II, 3, 6. Eadem Cicero utitur in dialogis non semel. Tunc ita dicere solemus, cum cetera volumus scire, quae vix concedere credamus.

V. 14. *ut — sit*, Latine, *ut sit*, explicandi causa, v. Perizon. ad Sanct. Min. III, 14.

V. 18. *quam ovem.* In libris Prisciani omnibus legitur *quasi* pro *quam.* Sed post *tam* sequitur *quam*, non *quasi.* Tursellin. de particc.

V. 19. *facio*, fingo, quemadmodum Latini dicere solent: aut *fac* — aut finge, ita esse, vel ita rem se habere.

V. 21. *lup. in fab.* „Sic fere Plautus," *lupus* in sermone s. colloquio familiari; nam colloqui est, quod olim fabulari.

V. 22. *Pater est?* al. *Paterne est?* Palatin. cod. *Pater adest?* Andr. II, 3. fin.

ACTUS IV. SCENA II.

V. 2. *a villa mercenarium.* Substantivum cum praepositione, a, pro adjectivo ejusdem vocis, ut h. l. *a villa* pro

villicus, Terentio quidem familiare est, verum etiam confine mori Graecorum. Sic Thucydid. lib. 3. *οἱ ἀπὸ τῶν τριάκοντα νεῶν Ἀθηναῖοι*, sunt classiarii triginta navium; ad verbum, qui Athenienses a navibus sunt triginta. Hic ergo est magis Graecorum mos loquendi quam Romanorum.

V. 3. *fil. esse ruri.* Ablativo *ruri* Terentius utitur, non *rure*, quod alii habent manuscripti. Conf. supra I, 1, 20. Ph. II, 3, 16. Sic et Plaut. Most. I, 1, 7. „An *ruri* censes te *esse?*"

V. 4. *quin tu b. a. es.* *Quin* cum imperativo, hortantis est. Sic saepe apud Terentium, et Plautum, etiam Ciceronem, alios.

V. 10. *vide, ne ille* etc. Ctesipho post scenam vocem emittit a tergo patris.

V. 13. *in cellulam aliquam.* Casaubon. ad Sueton. Calig. c. 57. „*Cellas* Latini vocant omnia gurgustiola infimae sortis hominum. Tales erant cellae servorum, quae erant adstructae magnarum domorum aut insularum foribus." Al. leg. *cellam*, cui maxime conveniret illa Casauboni definitio. Sed nos praeferimus *cellulam*, quod est Eun. II, 5, 19. Et amantes non oderunt, quod scimus, hanc vel minimam.

V. 17. *Quid ille gannit?* Pers. Sat. V, 96. „secretam *gannit* in aurem."

V. 21. 22. *non tu eum rus* etc. Deprehendit mentitum, qui expedit se alio mendacio. Sic Davus servus in Andria.

V. 32. *Diminuetur.* Priscian. lib. I. *Dimminuetur*, geminata litera, m, pro *Dismin.* Goveanus dividit hoc verbum, sine causa. Nisi forte sumseris, Demeae furorem granium cerebri divisum aut diffractum velle in duas partes. Ceterum quia, iram evomere suam, ingenuo homini, in Eun. IV, 7, 33, non ita turpe erat, id multo minus est servo.

V. 39. *Id quidem angiportum* etc. Prisciani *autem* pro *quidem*, haud dubie est *μνημονικὸν ἁμάρτημα.* Excidit enim memoria. Per tot vias, perque tam flexuosa itinera urbis Syrus agere se Demeam jussit, ut, ni res comica esset, vix crederetur.

V. 44. *ap. ips. lacum.* A. Popma suspicatur, huiusmodi *lacum* significari, qui habeat aquam ex flumine ad aquandum vel lavandum exceptam. Hac occasione commemorare licebit, me Turnebum in Adversar. XX, 29. auctorem ejusdem opinionis se profitentem invenire. Esto auctor, qui prior vixit.

V. 46. *Lect. ilign. pedib.* Ob firmitatem ilicis fiunt duri et solidi, inquit Turnebus; vid. Adverss. I, p. 12.

V. 48. *ego te exercebo.* Nep. in Hannib. 10. „regem armavit et *exercuit* adversus Romanos.“ Synonyma verbi *exercere* sunt, movere, excitare, vexare, e quibus eligatur, quod consentaneum est maxime contextui rerum et verborum.

silicernium. Quid hoc sit, diximus alio loco et tempore. Addimus ex Calvini Lexic. jurid. *silicernium* esse funebre convivium. Ter. Varr. Fragm. quod incipit: *Meleager:* „Funus exsequiati laute, ad sepulchrum antiquo more *silicernium* confecimus, id est περίδειπνον, in quo pransi discedentes dicimus alius alii Vale.“ Vid. Nonius, *silicernium.*

V. 52. *cyathos sorbilans.* Plena pocula exhauriens, vel totis faucibus trahens, is erit, qui *sorbilat.* Bibat, si quis velit in convivio, in alterius salutem, vel non. Sic certe Plautus, Poen. 1, 2, 185. „Hem mihi jam video propter te victitandum *sorbilo.*“ Non poenituit, *sorbilans* uno, l, scriptum recepisse in textum pro *sorbillans* aliorum; cum unum, l, molle sit, duplex non ita. Hac autem voce *sorbilans* licet imitari gemitus ac suspiria sorbentium sensim sensimque inter bibendum. Quod ita esse, etiam adjecto *paulatim* ostenditur.

ACTUS IV. SCENA III.

V. 3. *Nisi si.* Sic restituit Rivius ex antiquis pro *Nisi.*

in illo num. Apud Priscian. *ex illo numero.* Priscianum diverse legere passim animadversum est.

V. 12. *tuo.* al. *tu.*

V. 15. *magis.* Abundat haec particula, secundum Donati sententiam. Vid. Burm. ad Grat. F. Cyneg. v. 90. Post verba: *ad contumeliam omnia accipiunt magis*, supple: quam, non *suspiciosi* homines.

V. 18. *Et recte, et verum dicis.* Haec quidem consona verba allegat Heindorf. ad Platon. Phaed. 65. καλῶς καὶ ἀληθῆ λέγεις.

ACTUS IV. SCENA IV.

V. 1. *Discrucior animi.* Inter clausulas, sic dictas, versuum sunt haec verba; cuiusmodi etiam v. 9, et IV, 5, 1. aliisque locis. Priscianus dicit: Clausulas quoque primum

appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Accium. Nonnunquam ab his initium fit, ut apud Caecilium: D. boni quid hoc? apud Terentium: „*Discrucior animi.*"

V. 8. *eam.* Hoc pronomen *eam* Glareanus requirit ob versum, Rivius tollendum existimat. Nos accedimus posteriori, quod idem pronom. *ea* praecessit.

V. 14. *valeas.* Eodem significatu Cic. N. D. 1, 44. „Si maxime talis est deus — *valeat.*" H. e. cum tali deo mihi non res est. Verbo autem *valere* graece est synonymum χαίρειν. Andr. V, 3, 18.

V. 22. *ut eam ducerem.* A Mureto additum, *domum*, nescio unde. Quamvis plene est Latinis: uxorem *ducere domum*, ut supra III, 4, 27. Ph. IV, 4, 12. Sic est graece, *ἄγειν γυναῖκα εἰς οἶκον.* Sic Xenoph. et alii.

V. 26. *aperite aliquis.* Non mirifica conjunctio, quae est more Latinorum, etiam Graecorum. Plaut. Men. IV, 2, fin. „*Aperite* atque Erotium *aliquis* evocate ante *ostium.*" Eodem fere Graeci utuntur pronomine, τις. Vid. Aristophan.

ACTUS IV. SCENA V.

V. 3. *pater h. est.* Sic de patruo, quem *patrem* habet per adoptionem. Ibid. Plin. epp. V, 8. „Avunculus meus, idemque per adoptionem *pater.*"

V. 7. *non equid. istas* etc., sc. fores. Dubius est, verum an falsum dicat. Inde Erasm. in Adagg. „Aut non est," inquit, „mentiendum, aut fortiter mentiendum; alioqui mox deprehenditur, qui verecunde mentitur."

V. 9. *Erubuit: salva res est.* In adagiis silentium ac rubor pro consensu accipitur.

V. 32. *cum illa.* Interpres legit *illi.* Usitatius tamen est, *qui cum illa consuevit*, quam, *qui illi consuevit.* Cf. Hec. IV, 1, 40. Ph. V, 6, 33. Add. Nep. in Alcibiad. 10. „At mulier, quae *cum eo* vivere *consuerat.*"

V. 33. *Qui felix haud scio an illam* etc. Ne se prodat, contentus est dicere more urbaniori, *haud scio an*, quod est, certo credo. Vide, quae nuper Gernhard. disseruit de hac phrasi, *haud nescio an.*

V. 46. *te amo.* Addendum erat, ut plenior esset oratio: eo magis. In communi autem vita, in qua comoedia versatur, talis ellipsis facile conceditur. Ceterum quam suavis est hic versus sono et argumento!

V. 48. *admis. in me.* Dicit, *in me*, ut qui maxime doleat et animo angatur. Ecce vero purissimi animi adolescens

V. 49. *tui pudet.* Sensu bono in patrem. Idem aliter supra III, 3, 37. 38.

V. 51. *In qua civitate tandem te* etc. Particula *tandem* utitur emphatice. Nam per hanc interrogatio fit animo commotiori. Sic Cic. de Legib. 3. „Q. Sed est quaed. inter nos — dissensio. A. „Quae *tandem?*" Commotior quaerit Atticus, „quae *tandem?*"

V. 53. — *peccatum — magn. et humanum tamen.* Itid. Xenoph. Cyropaed. III, 1. — *ἀνθρώπινά μοι δοκεῖς ἁμαρτεῖν.* Humana autem ἁμαρτήματα, peccata sunt, quae ab aliis hominibus saepe committuntur. Haecce Zeune notavit ad hunc locum. Et Donatus, „Moris est," inquit, „exemplo lenire, quod purgare non possis."

V. 55. *circumspexti — prospexti*, cf. Eun. II, 3, 85. et alibi. Contrahuntur ita formae verborum a dramaticis poetis.

V. 56. *si te ipsum mihi puduit dicere.* His explicatur, quod brevius supra v. 49.

V. 57. *dubitas*, incertus es, huc illuc moveris. Commodius forte pro, cogitare, uti Cic. Phil. V, 3. „*dubitate*, quid agatis."

V. 67. *Omnes oderint*, *ni* etc. Formula jurandi, qua Plautus quoque, etsi aliis verbis, utitur, Most. I, 3, 35. „Di deaeque omnes me pessumis exemplis interficiant, *Nisi ego* illam" etc. Partic. *ni*, nisi, in sponsionibus usitata. Cic. in Verr. III, 57.

V. 72. *Ego eo intro.* Apud Priscian. lib. XVII. citatur: „*Ego ibo intro.*" And. V, 4, 53. Heaut. II, 3, 99.

ACTUS IV. SCENA VI.

V. 4. *neq. ulla fabr. illic erat.* Bruns. cod. Halens. aliique non hab. *illic.*

fratrem. Interpres codicis Hal. addit: „meum Micionem," satis otiose. Hoc monui propter eos, qui interpretantes nihil, ne minimum quidem, omittunt, nec quidquam, quod tirones ipsi videant, relinquendum existimant.

ACTUS IV. SCENA VII.

V. 3. Demea senex, quam durus! quam comis contra Micio! Ambos hos diversis moribus esse fratres, etiam Cicero ostendit de Senect. 18.

V. 9. *non insanis?* Ernesti explicat: „*insanire* dicitur de eo, qui, ut ajunt, coelum et terram movet in aliqua re." Cic. in Verr. II, 4, 19.

V. 10. *Dii bene vertant.* „In omnibus quae capite venerint, *Dii bene vertant*, dici solet.“ Donatus. Sic Livius pluries. Non absonum videtur, *Dii* meliora.

V. 13. *virgo*, h. e. mulier. Nam *virginem* pro muliere Terentius nonnunquam archaice dicit, teste Donato. Et hic virginem vocat, quae jam cum viro fuit.

V. 18. *haec mage sunt hominis.* Qua vi sentiatur τὸ *hominis*, e Livio, 29, 17. patebit.

V. 25. *Pro psalt.* Derivat. *psaltria ἀπὸ τοῦ ψάλλειν*, cantare. In symposiis autem lyra solebat per singulos dari convivas in orbem, ut ea comitante quisque cantaret. Aristoph. Nub. 1358.

V. 32. *ut habeas, quicum cantites.* Totum hoc clarius exstat apud Alciphronem, qui saepe Terentium, ad exempli instar, imitari et adumbrare videtur, epist. I, 18. Euploos Encymoni: „Ὑπερμαζᾷς ἢ μέμηνας, ἀκούω γάρ σε λυρῳδοῦ γυναικὸς ἐρᾷν etc. Lascivis profecto vel insanis: audio enim te ad lyram canentem deperire mulierem etc.“ En vero satis acerbitatis, qua Demea fratrem stringit.

V. 34. *Tu inter eas restim ductans saltabis.* Multus quidem fui ad haec verba, sed restant, quae addam. Tacui enim nuper, saltationem ipsam maximo opprobrio olim fuisse cuilibet homini honesto; cf. Cic. p. Dejot. 9. et Offic. III, 19. Aristophan. Nub. v. 992. „*Μηδ' εἰς ὀρχηστρίδος, ἵνα μὴ πρὸς ταῦτα κεχηνὼς Μήλῳ βληθεὶς ὑπὸ πορνιδίου* — Nec ad saltatricem ingredi, ne istis rebus inhiantem Malo petat meretricula.“ Anacreont. Od. 41, 21. et 48, 5. *μεθύων ὅπως χορεύσω*, cum nota: Nam nemo saltat sobrius; quae verba Ciceronis sunt in orat. p. Mur. 6. Poterat Demea exclamare: o senium meretricis ludibrium! uti exstat in Alciphron. epp. III, 33. Et designavit Theophrastus Charact. 12, 3. hominem imperitum, quod intempestive, h. e. ante, quam ebrius factus esset, saltare soleret.

V. 43. *ipsa, si cupiat, Salus* etc. Hoc proverbiale fuisse videtur. Plautus eod. utitur, Mostell. nescio quo loco: Nec *Salus* nobis *saluti* jam esse, *si cupiat*, potest. *Salus* proprie et appellative. *Salus*, dea servatrix. Aristophan. Av. *Ὑγίειαν κ. σωτηρίαν.* Et Cic. in Verr. III, 57. „Ecquod judicium Romae tam dissolutum etc. quo ex judicio te ulla *Salus* servare posset?“

ACTUS V. SCENA I.

V. 5. *Exemplum disciplinae.* Ironice. Item fere Plaut. Most. I, 2, 74. „Parsimonia et duritia disciplinae aliis eram.“

Add. Cic. p. Coel. illustrandi causa, c. 17. „Dicet aliquis, Haec igitur est tua *disciplina?* sic tu instituis adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit — ut in amore et voluptatibus adolescentiam suam collocaret" etc. Hoc modo etiam Syrus Terentianus, quippe qui prae ceteris familiae existimatur esse magister filii herilis; cf. Andr. I, 1, 27. 2, 21. Ph. I, 2, 22. Quodnam vero *exemplum disciplinae* poterat juvenibus esse magister ebriosus?

V. 6. *Senex noster.* Utriusque et *Senex* et *noster* blanda appellatio Romanis, qua usus jam veterator capturus est domini benevolentiam. Phorm. II, 3, 51.

V. 7. *verba fundis — sapientia.* Dictiones magnificae, quibus ille dominum illudat. Virgil. Aen. XI, 482. „*fundunt* voces" (de limine templi.) *sapientia.* Hac voce idem eidem illusit, supra III, 3, 40.

V. 8. *dis quidem esses, Demea.* Illudit Demeam imitante sermone; quo modo idem eundem, supra III, 3, 61 seqq.

dis contracte pro dives. Sanct. Minerv. IV, 16, 15.

V. 11. *In ipsa turba — in peccato maxumo.* Quae paulo ante augens supra modum dixerat *capitalia*, IV, 7, 5.

ACTUS V. SCENA II.

V. 8. *comissatorem.* Cic. in Catil. II, 5. „Quodsi in vino et al a *comissationes* solum et scorta quaererent." Exinde pot x, quid *comissationes* fuerint, facile perspici, ut definitione Ernestii data vix egeamus. Vid. Liv. 8, 29.

V. 11. *edormiscam hoc villi.* Plaut. Rud. 28. „ut *edormiscam* hanc crapulam." Jocari illum, Taubmannus adscripsit. Jocus idem est, *villi* pro vini dicentis. Nihilominus gravatus vino videtur, qui somnum levandi sui causa cupiat.

ACTUS V. SCENA III.

V. 3. *quid faciam? — quid clamem?* etc. Idem est ille, cuius impetuosus animus *clamore* facile erumpitur; cf. supra I, 1, 35. IV, 7, 9. Non sustinet, quid acciderit, referre, nisi clamando.

V. 6. *Paratae lites.* Recte. Nam inest versib. 11. 12. objurgandi causa, quae justa esse videatur. Ad hoc objurgator ipse Demea est paratus.

V. 7. *corruptela.* *Corruptela* quid sit, discitur a Cic. de Legg. 1, 12. „tantam esse *corruptelam* malae consuetudi-

nis ut" etc. Sueton. Calig. 16. „Alium *corruptelis* adulteriisque famosum monuit, ut" etc.

V. 8. *ad te redi.* *Redire* ad se dicitur quis a sopiti animi vel corporis conturbatione. Liv. I, 41. „sopitum fuisse regem — jam *ad se redisse.*"

V. 18. *Communia esse amicorum* etc. Proverbiale id constat in usu esse vulgari. Graece idem sonat: *Μάλιστα πρέπει φίλους φίλων κοινοὺς εἶναι.* A Graecis itaque hoc dictum derivandum esse, quis neget?

V. 27. *quaere.* Latine *quaerere* dicuntur, qui cupidi sunt divitiarum, vel attenti ad rem. Horat. Sat. 1, 92. „Denique sit finis *quaerendi:* cumque habeas plus, Pauperiem metuas minus" etc.

V. 36. *ex quibus.* Ramshorn. gram. lat. §. 161. *quibus ex*, quasi id moris sit poetarum. Sed grammaticus in commodum suum genuino contextu uti debebat, non transpositione Bentleji.

V. 40. *Quae ego in illis* etc. Taedet me, fateor, notae olim his verbis adscriptae. Ejus enim dimidia altera pars ita confusa irrepsit in publicum, ut, quod rogo vehementer, qui legerit, eam habere velit pro deleta. Loquor enim de eo, quod in editione Terentii mea erratum fuerat.

V. 52. *da te hodie mihi.* Amicabiliter. Cic. ad div. II, 8. „Tantum habeto, civem egregium esse Pompejum etc. Quare *da te* homini." Dare se suaque alicui, i. e. commendare, committere se ejus in fidem. A. Turnebus, in Adversar. tom. I. p. 198. ed. Paris. 1564. autumat esse, *dare se alicui*, genus loquendi elegans, forense et e populi sumtum sermone.

V. 53. *Exporge* pro Exporrige *frontem* i. q. Desine contrahere frontem, explana eam, ut hilaris appareas, minus tristis. Plin. epp. III, 6. Et Phaedr. IV, 7, 4. „Severitatem *frontis* dum placo tuae." Copiosior est de hac re Trillerus, in Observatt. p. 203. Versus senario pede distinctus hic est: *Expór|ge fron|tem; sci|licet i|ta tém|pus fert.* Accentus cadunt in syllabas longiores, et jambus finalis conficitur litera, s, elisa, *tempu' fert.* Sic Ennius aliique antiqui centies.

V. 55. *Cum primo lucu.* Ter. Varr. ad h. l. „Est hic," inquit, „geminus ἀρχαϊσμὸς, τὸ *cum* parelcon, *cum primo* luci, et *lux* genere masculino." Apparet inde illum non *lucu*, sed *luci* legisse; veteres autem *lucu* quartae declinationis sumsisse pro *luce*, quod hodie habemus. Aliter

Plaut. Stich. II, 3, 40. „*cum luci* simul," ubi *luci* est pro, luce. Terminatio, i, e, ablativi casus est, de qua plura apud Sanctium, in Minervae lib. I. cap. 6. ubi vide.

V. 56. *Hodie modo hilarum te face.* Formula laetantis esse videtur in die festo, aut cum quis alterum adhortatur ad laetitiam. Supra IV, 7, 38.

ACTUS V. SCENA IV.

V. 5. *vitam duram.* Plinium citamus dicentem sic: „rusticorum autem praediorum administratio poscit *durum* aliquem et agrestem, cui nec labor ille gravis, nec cura sordida, nec tristis solitudo videatur." Epp. VI, 30. Quid mirum, Demeam ex tali vita eum, qui esset, non alium evasisse. Add. Hor. Ep. 1, 16, 70.

vita dura sc. rusticorum. Proprie autem *duri* homines rustici dicuntur. Tibull. I, 9, 8.

V. 6. *decurso spatio,* confecto seu exacto *spatio.* Virgilius, Georg. II, 39. „inceptum — *decurre* laborem." Exposuit Wunderlich: „*Decurrere* recte quidem ad stadium aut circum refertur." Cic. de Offic. III, 10. „Qui stadium currit — sic in vita" etc. Al. leg. *excurso,* quod pro glossa habemus.

V. 7. *neque.* Ellipsis, quidquam, supra 1, 2, 4. 5.

V. 13. 14. *Duxi uxorem, quam ibi* etc. Cum his conferamus quae ex Menandro sunt apud Stobaeum: *τὸ γυναῖκ' ἔχειν, εἶναι τε παίδων — πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει.*

V. 17. *Odium.* Pro, Odiose vel, digne odio. Sic Sophocl. Philoct. v. 1016. *ὦ μῖσος,* vitii appellatio, pro ipso homine vitioso.

potitur gaudia pro *potit.* gaudiis. Sic et Nep. in Eumen. III, 4. „qui summam imperii *potiretur.*" Val. Flacc. Arg. V, 570. „*potitur* convivia." Non desunt alia exempla. Nec omittam Priscianum, qui, respecto hoc loco, ait omnes auctores dicere, *potior* illius, et illum et illo. Hodie magistri pueros monent, ut a syntaxi sibi caveant, quae ipsis quidem videatur inusitatior.

V. 20. *meam — mortem exspectant.* Sic Liv. 28, 27. „In castris meis, inquit Scipio, fama *mortis meae — exspectata est.*" Supra 1, 2, 29.

V. 24. *vocat* sc. frater, ad me transformandum.

ACTUS V. SCENA V.

V. 3. *Recte.* Brisson. de Form. VIII, 65. *Recte*, adnotat Donatus, Syrum respondisse pro Bene.

V. 4. *quid agitur?* Ridiculum est, quod Demea dictionem, *quid agitur*, pro urbana habeat, quae pura est rusticorum. *Agi* enim pecora dicuntur vel armenta. Et in Eun. II, 2, 40. Syrus servus Gnathonem aegre fert, *quid agitur?* rogantem. Tum respondet acerbe: *statur.*

ACTUS V. SCENA VI.

V. 3. 4. *Geta, hominem maximi Pretii te esse* etc. Mire agit Demea, natura obstrepente, mutatus. Nam velut deposito ferociori animo, mitiorem fratrem imitaturus, paene blanditur homini servo.

V. 10. *pleb. facio meam. Facere suum* aliquem, pro, conciliare sibi animum alicuius. Liv. 41, 8. „ne quis quem, civitatis mutandae causa, *suum faceret.*“ Ceterum ne obliviscamur, *plebem* magnifice dici, quasi a magistratu majore.

ACTUS V. SCENA VII.

V. 2. *consumunt diem.* Hac syntaxi quidem, Cic. de Legg. 1, 4. „quid enim agam potius? aut in quo melius hunc *consumam diem?*“ Supra II, 4, 23.

V. 9. *Hymen. Hymenaeum* plures commemorant auctores. Ut Ovidium tantum adferamus et Claudianum, Fast. II, 562. et Epith. Hon. v. 202. Cetera ad hunc loc. jam pridem satis notata nobis videntur.

V. 10. *hanc in horto maceriam jube dirui.* Plaut. Truc. II, 1, 37. 38. — „illanc *maceriam* Per *hortum* transilivit ad nos“ etc. Est enim paries vel murus intelligendus, qui dirimat proxime sibi positas domos. Aut teneamus fere idem a Varrone, qui ait: „Erat etiam fabrile sepimentum *maceries*;“ de R. R. 1, 14. Add. Taubm. ad Plaut. l. c. „*Maceria* est paries ex lapidibus sine calce constructus.“ Qui si vero, quod apparet, ita erat constructus, eo facilius poterat ac celerius dirui.

Restat ut moneamus, quod ad ritus pertinet nuptiarum, sponsam, quae domum duceretur, *in horto* tamdiu commorari, donec *diruta maceria* in domum mariti transiret. Heinecc. Syntagm. lib. I, Tit. 10. Adeo rapta videbatur sponsa

furtim vel clam, non palam; idque aut ad pudicitiam virginis signandam, aut in memoriam raptarum mulierum Sabinarum.

V. 11. *unam fac domum.* Contra ob discordiam, Tacit. An. 13, 18. „Separat *domum* (Nero) matremque transfert in eam, quae“ etc.

V. 17. *Babylo.* Praeter Bentlejum invenio alium quendam, qui interpretatur his verbis: *Babylo*, quod Demea Micioni hic tribuit, per jocum adhibetur, divitias ejus indicandi causa. Nam opes Babylonicorum et Persicorum regum in proverbium abierant. Quae explicatio fere eadem est Turnebi, in Adverss. II, 20, 31.

V. 19. *illas abi.* Hyperbaton. Ramshorn. lat. gr. §. 206. Conjungend. *illas traduce.*

V. 21. *factum*, addictum, aut propitium *factum*. Magis latine tenemus activum, suum *facere*, cf. supra 6, 10; unde petamus eandem significationem passivi, ut sit, fieri suum alicujus seu alicui. Sic, suum *factum velle.*

ACTUS V. SCENA VIII.

V. 11. *si tu sis homo.* Vix aliter Cicero ad Attic. IV, 15. Sed, si vis *homo esse*, recipe te ad nos, ad quod tempus confirmasti. Sensus, h. l., si tu sis homo, vales aliquid in patrem tuum, h. e. Micionem. Alias significantius, *si* vir *es.*

Me ducere. Aut infinitivus absque finito verbo, uti in oratione comica frequentissimum, aut subauditur, *aequum est?* ex versu 10.

V. 12. *nihil agis.* Sic Plin. epp. III, 16. „Attentius custodiebatur (Arria): sensit, et *Nihil agitis*, inquit. Potestis enim efficere, ut male moriar; ne moriar, non potestis.“ *nihil agis*, *nihil* est, quod efficis.

V. 14. *aufer* sc. te, uti plenius Phorm. III, 3, 26. Supprimitur Pronom. *te*, non temere; quippe quod timemus, ne oneret versum.

V. 18. *quasi non h. s. max.* Simile supra II, 4, 7.

V. 23. *Merito te amo.* Bentlejus: *Merito tuo* etc. unde hoc, *tuo*, sumserit, non notavit. Cod. Hal. *Merito amo te.* Insuavius, propter hiatum.

V. 26. *agelli est hic sub urbe paulum.* Ager sub urbe; unde dicuntur, uti constat, *suburbana*, scilicet praedia. Itid. Plautus alicubi: „*Est ager sub urbe hic* nobis: eum da-

bo dotem sorori." Vox *paulum* pro substantivo cum gignendi casu, rarissimo exemplo.

V. 26. *foras.* Verius legitur *foras* ex antiquis libris, quam *foris.* Nam *foras* vendere, dare, Plautinum est, non *foris.* *p. i. autem* etc. Hoc *autem*, cum quadam animi acerbitate. Eun. III, 2, 22.

V. 27. *qui fruatur.* C. Fronto notat: „*qui fruatur* pro, quo fruatur." Nam veteres grammatici docent, *qui* ablativum esse a pronomine, quis.

V. 28. *pro patre.* Non placet. Malumus *pro parte* legi. Nam cum Micio v. 27. aegre ferre videatur, *paulum* illos dixisse, Demea respondet: *pro parte huic*, Syro, *est* agellus, *bonus est*, fructibus annuis scilicet; sed *noster est*, nobis proprius manet. Sic *recte datur*, id est, bene collocatur. Modo tamen subit aliud. Redimus enim ad explicationem vulgatam: *pro patre huic*, Aeschino, *est*, Hegio; *bonus* et *noster* sc. Hegio, ille vir, hic adfinis. Recte sic explicatum. Minime tamen poenituit prioris, quod exemplum exercitationis esset.

V. 31. *nimium ad rem — attenti sumus.* Eod. sensu Hor. Epp. I, 7, 91. „Durus *nimis*, *attentusque* videris Esse mihi" etc. Addunt ibi, explicandi causa, *ad rem*, id est, avarus. Ceterum, *ad rem*, per ellipsin, in usu dicendi esse pro, *ad rem* familiarem, vel facultates bonorum fortunasve, non ignorabitur.

V. 35. *Suo sibi hunc.* Mira conjunctio pronominum, quam tamen eandem attulit e Cic. Lael. 3. Zumptius gr. lat. §. 746. Illud *sibi* comico tantum condonabitur sermoni. Abundat quidem, sed non otiose. De ordine verborum servando monendi tirones sunt, Latinos pronomina, quibus opus sit, amare proxime sibi continuata. Ut unum Ciceronem testem huius rei appellemus, ad div. II, 8. „*tu me hoc tibi* mandasse existimas." Vid. Priscian. lib. 17. de hac ipsa pronominum constructione. Ab altera parte τὸ *sibi* animadvertimus Terentium in dativo casu, quem incommodi dicunt grammatici, posuisse; quemadmodum Ciceronem idem pronomen in commodi eodem: de Amicit. 3. „factus Scipio est consul — iterum *sibi suo* tempore." Sed hoc *sibi* Terentii, ut id quoque addamus, Schulzius gr. lat. §. 107. nominat dativum ethicum. Miror L. Vallam dubitare, *suo* dicere rectius sit, an, ejus.

ACTUS V. SCENA IX.

V. 8. *Scortum adducere.* *Scorto* nocentius nullum animal, dicit Athenaeus, Deipnosoph. ed. Bas. p. 277. καθ' ἑταιρῶν κ. γαμετῶν. Cornel. Nep. X, 4. — „puero (Dionis filio), priusquam pubes esset, *scorta adducebantur.*“ Juvat omnino sensisse, qui sibi reddant salse ac acerbe dicta invicem, Syrus et Demea, simulantes esse cum risu dissimulantesque. Nam Demea ironice praedicat scelera Syri pro laudibus; hic illius carpit sapientiam.

V. 9. *o lepidum caput.* Vox *capitis* est vel in amicabili vel jocoso vel cavillatorio sermone. Plin. Epp. III, 17. „timere pro *capite* amicissimo.“ Idem fere est, quod Graeci dicunt ὦ φίλη κεφαλή. Itid. Ter. Eun. III, 3, 25. „*o capitulum lepidissimum.*“

V. 12. *si quidem.* Lege ac distingue *si* et *quidem*, duas voces separatas.

V. 15. D. *Gaudeo.* A. *et ego.* S. *credo.* Gaudia et gratulationes mutuae, quales in Andr. V, 4, a versibus inde 43 seqq. Ac justus finis est comoediarum, cum res peracta evaserit ad prosperos eventus.

V. 17. *tuo nepoti* sc. Micionis, seu fratris filio. Nomen *nepotis* vaga significatione Romanis usurpari constat.

V. 18. *mammam dedit.* *Mammam* dedit nutrix. Nutrix vero distinguitur a matre, quae pepererat. Sic Plaut. Men. Prol. 20. 21. Sed quaeritur, utra lectionum, *prima* an *primam*, verior sit, cum utriusque differt vis significandi. Si Claudianum sequimur, L. Seren. v. 87. canentem: „ubera *prima dabant* — Horae;“ *primam* nobis erit amplectendum. Nempe quae primum pepererat, *mammam* dedit.

V. 20. *Ob eam rem?* Quia Micio sic miratur interrogando, patet, servas vulgo aut frequenter *mammas dedisse* infantibus liberorum.

a me — sumito. Mutatus Demea superat benignitate Micionem.

V. 24. *unde utatur.* Haec phrasis quid significet, vid. ap. Fr. Gronov. ad Liv. I, 43. citato hoc Terentii loco. Vix alia illa est, *qui fruatur*, cf. supra 8, 27.

V. 28. *Quod prolubium? quae ist. sub. est larg.* Haec ab Caecilio Terentius sumsit. *dicam tibi.* Redit Demea ad ingenium.

V. 29. *facilem.* Opponitur *durus,* supra I, 1, 39. Burm. ad Grat. Falisc. v. 160.

V. 30. *Id non fieri ex vera vita.* Non quia *vere vivitur*, h. e. vere et judicatur et agitur, *putant te facilem* etc. sed quia assentatione, indulgentia, largitione capiuntur filii.

non — ex vera vita. Demea importunior alias quidem, tamen hic modeste, nec fratris nec filiorum *ex vita*, dicit; sed tecto nomine, *ex vera vita* solum, *ne alterutrius* eorum animum offendat. *vera vita.* Comparand. est Sallust. Catil. — sed ille *vera* via nititur, ubi via est, ratio vivendi, sicut alias *vita.*

ex aequo et bono. De hac dictione sinamus jureconsultos ambigere ac disputare; nobis sufficiat, quod adferamus graece ἐξ ἴσου, aequis vel *ex aequis* partibus, ut utrarumque partium altera alteri aeque respondeat. Sic Tibull. III, 6, 19. „Convenit *ex aequo.*" Vid. ad Phorm. IV, 3, 32. Homines enim *veram vitam* et speciem vitae saepe confundunt, h. e. judicant *non ex aequo et bono.* Hoc quid sit, Cicero optime exponit, Or. p. Caec. 23. Ibi enim videmus, quod contrarium illi ponitur, „non ex callido versutoque jure." Id est, si summo jure, si verborum subtilitate contenditur, quod est calumniatoris magis, quam aequi et boni judicis.

V. 31. *ex assentando.* Absurda non est praepositio *ex* cum ablativo gerundii, cum etiam habemus, „ab invidendo," Cic. Tusc. 3, 9. „in scribendo," Id. Orat. 13.

V. 33. *justa injusta.* Hoc modo opposita sibi ponuntur per asyndeton. Cic. Cf. Tusc. V, 114. Virg. A. XII, 811. „Digna indigna pati."

H É C Y R A.

PROLOGUS I.

V. 4. *in funambulo.* Funambulum fertur Messala Corvinus primus Latinorum dixisse, quem Graeci σχοινοβάτην vocant.

PROLOGUS II.

V. 6. *Caecilii.* Hunc comicum poetam memorat Ter. Varro in Fragmentt. una cum Plauto et Terentio nostro his verbis: „In argumentis Caecilius poscit palmam, in ecthesi Terentius, in sermonibus Plautus."

V. 7. *Partim sum earum* etc. Adverbium *partim* modo, quae dicuntur, partitivorum, construitur cum genitivo, aut cum ablativo, praecedente praepositione e, ex. Cornel. in Attico, c. 7. „quorum *partim* invitissimi castra sunt secuti." Ubi Paufler *partim* cum pars, vel nonnulli, commutari existimat. Cic. de Legib. II, 17. „*partim* ex illis — dissipati jacent." Add. A. Gell. 10, 13. „*Partim* hominum venerunt — Nam *partim* hoc in loco adverbium est — Etiam, cum *partim* hominum, dici potest, id est, cum quibusdam hominibus" etc.

exactus, sc. a scena. *steti.* Subaudi, in scena.

V. 15. *arte musica. Musica ars*, est poetica. Chrysostom. or. 64. Sic artem praedicant Sapphus, *Σαπφὼ μουσικὴν* etc. Terent. Heaut. Prolog. v. 23.

ornatu, comitatu, *prologi.* Qui *prologum* recitaret, ita loquebatur, ut mandata auctoris publice declarare videretur.

V. 22. *Nunq. agere licitum est; ita eam* etc. Quid mirum? cum populus romanus ita esset, ut magis corporis virtutes admiraretur, quam ingenia poetarum.

V. 26. *Funambuli.* Huiusmodi exercitationes corporis amabant Romani, sane quidem periculosas. Qui aliter? Po-

pulus romanus bellicosis rebus nunquam satiabatur. Nam historia romanarum rerum nihil aliud est, quam series continuata bellorum.

V. 28. *ut ante temp. exirem foras.* Hoc fere idem fiebat in gymnasiis, ubi auditores discum audire mallent, quam philosophum. Cic. de or. II, 6.

V. 44. *qui in tutelam meam* etc. sc. tanquam tutoris. Cic. de orat. II, 47. — „gnati ejus parvi, *qui* tibi *in tutelam* est traditus."

V. 47. *Mea causa causam.* Lusus verborum, *causa causam*, utrumque sensu diverso.

ACTUS I. SCENA I.

V. 1. *Philotis.* Alia *Philotis* s. Tutela occurrit in Macrob. Saturnalib. I, 11.

V. 4. — *sancte, ut quivis facile posset credere.* Similit. Liv. 9, 29. „quod sacris religionem facere posset." Et Sueton. Tit. 10. „Quidam opinantur, consuetudinem recordatum, quam cum fratris uxore habuerit. Sed nullam habuisse *persancte* Domitia *jurabat.*"

V. 8. *quemquam.* Ita legebam antea, nunc vero amplector lectionem alteram, *quemquem.* Huiusmodi enim sunt quanta quanta, ubi ubi, ut ut, ex usu Terentii.

V. 12. — *voluptatem expleat.* Hac phrasi utitur etiam Tacitus An. 13, 12. „muliercula — cupidines principis *explente.*"

V. 17. *istaec,* tua.

V. 18. *haec,* mea. Sententia haec anus decrepitae non convenit Bacchidi formosae, quae bona ostenditur meretricum. *istaec,* δεικτικῶς, ut quae ostendatur coram, sc. Philotis puellae.

ACTUS I. SCENA II.

V. 3. 4. *si quaeret* etc. *si non* etc. Sic bipartito demandat Thais Pythiae, Eun. III, 2, 48. 49. *si forte* etc. *si id non* etc.

V. 6. *Philotium.* Stephanus dicit: „apud Terentium meretricula quaedam modo *Philotion* ὑποκοριστικῶς, modo extra ὑποκορισμὸν, *Philotis* appellatur." Sic enim nomen posterius huius personae inscribitur scenis singulis, ubi eadem obvenit. Ceterum terminationem syllabae, *um*, latine magis usurpari, quam graece *on*, notissimum est; inde *Philotium*, sic et Glycerium pro Philotion, Glycerion.

V. 9. *Philotis.* Muret. leg. *Philoti,* non temere. Nam graecus vocativus est, *Philoti*, abjecto s, finali. Priscian. lib. 7.

V. 18. *Agit. int. vos lib. convivium.* De modo ac ritu conviventium apud Romanos vid. Pet. Ciacconius. Et si libuit novisse *convivia* supra modum *agitata*, Suetonius est adeundus in Claud. Caes. c. 32. ubi legimus: „*Convivia agitavit* et ampla et assidua, ac fere patentissimis locis, ut plerumque sexcenteni simul discumberent."

V. 25. *habere autem?* Ut de particula *autem* cognoscatur, qui usus, quae vis ejusdem sit, Ciceronem adferamus opportunissimum testem, in Epp. ad Attic. VI, 2. — „hoc molestissimum est, Statium dicere, a me — consilium probari; probari *autem?* de isto hactenus." Inde discitur, — τὸ *autem* indignantis esse vel non probantis.

V. 27. *si in rem est Bacchidis.* Mirum *Bacchidis*, in genitivo casu, cur non potius in dativo, ut Andr. III, 3, 14. *si in rem est utrique?* Attamen scriptum est, *Bacchidis*, in omnibus libris.

V. 31. *Ita me dii amabunt.* Al. inserunt *bene*, ante *amabunt.* Omittitur *bene* a Rivio. Aliter vult Muretus, *amabunt* aspernans, retinens *ament.* Idem, *te,* autumat ejiciendum, si retineatur, *amabunt.* Itaque modo addunt, modo demunt illi interpretes, prout cuique eorum versus Terentianus tractari debere videatur. Nos vero dubitamus, an recte illi fecerint, qui Terentium ex sua quisque Terentiani versus imagine audeant mutare.

V. 35. *Quasi.* In hac voce E. Kaercher putat lit. a, corripi pronuntiatione. Itid. Eun. II, 1, 3. Phorm. II, 3, 35. *malis narrare.* Hic Parmeno non magis tacere, aut non minus loquax creditur esse quam ille in Eunucho, 1, 2, 21.

V. 37. 38. *fidem mihi Si das.* Hoc fere idem est, quod in Eun. 1, 2, 20. 21. *dic mihi hoc primum* etc. Vitium enim servorum est, tacere non posse.

V. 40. *ut cum maxume.* Locum explicandi causa Ramshornius profert Cic. p. Cluent. 5. „Mater multos jam annos et nunc *cum maxime* filium interfectum cupit." Gram. lat. §. 156.

V. 53. 54. *ut ipsam Bacchidem, Si adesset* etc. Pacuvianum hoc esse, qui dicat: „*S.* Priamus *adesset*, et ipse ejus *commiseresceret*," G. Fabricius testatur.

V. 56. *Ut colloqui mecum n. posset* etc. Mimesis est. Servus enim dominum inducit loquentem. Val. Flacc. Argon.

VI, 479. „Imitari sono aliquem ac forma.“ Imitatio enim est, qua nostrum ad aliorum sermonem accommodamus. Add. Dionys. Techn. rhetor. X, §. 10. *κατὰ μίμησιν, τὴν πρὸς ἑτέρους, καθάπερ ἐν ἰδέᾳ τινὶ κωμῳδίας.*

V. 57. *quid ego egi?* Quam suavia auditu sunt verba, *ego egi!* Huiusmodi plura in Terentii sermone invenire, nullius negotii est. Etiam suavissime hic sonat versus, per mollissimam literam, i, frequentatam. Profecto hic non unus est locus, quo pulcherrima Nostri oratio sentiatur.

V. 59. *cum tuo odio.* Per apostrophen. A sene innuit nuptias propositas et factas, quae odiosissima res est meretrici.

V. 64. *potus*, ex Priscian. lib. IX., ὁ πεπωκώς. Sed qui *potus*, is fere supra modum putatur, multo magis, adjecto *plus*.

V. 69. *Pamph. me solum seducit foras.* G. Fabricius ex Naevio promsit simile: „Dedita opera te pater *solum seduxi foras.*“

V. 70. 71. 72. *Narratque, ut — sit, Seque — Sperasse.* Diversa haec constructio ne offendat, quae non tam condonanda, quam propter elegantiam sermonis et morum comprobanda est. Nam Latini solent, post verb. sentiendi, particulam *ut* ponere tunc, si, quod cum minore affirmatione subjunctum est, vix sustineant idem pro affirmato supposuisse. Exempli causa sufficiat Virg. A. 12, 143 — 145. Hoc modo ὡς Graecorum. Aliter, quod ab omni parte ipsi habemus certissimum, dicimus latine cum accusativo et infinitivo, *Narrat se sperasse.*

V. 84. *Maligna.* Quinctilian. Inst. or. II, 2. De moribus et officiis praeceptorum: „In laudandis discipulorum dictionibus nec *malignus*, nec effusus.“ Inde *malignus* quid sit, cognoscimus vi oppositi, τοῦ effusus. Liv. 3, 63. Senatus utrique consulum victorum *maligne* in unum diem supplicationes decrevit; at populus addidit frequens alterum.

multo. Valeat Bentlejus cum suo *magis*, quod substituit in locum illius ejecti. Posuit enim *magis et magis.*

V. 88. *existimans.* Pro hoc Muretus: *aestimans*, quod ob metrum magis placet.

V. 93. *vict. huius injur.* Casaubon. ad Sueton. J. Caes. 1. *Vincere*, ait Donatus, familiare est verbum iratis apud Terentium aliosque. Similiter apud Graec. *νικᾶν.* Donatus ait: iratis. Quinam id? Quia, uti opinamur, *victus* qui

est, moleste sentit se primo errasse. *huius*, Bacchidis. Quam vere narratur Pamphili a Bacchide alienatio!

V. 96. *in Imbro.* Ad Liv. 35, 43. notat Glareanus: „*Imbrus* navigantibus ex Phrygia in Maliacum sinum satis ad sinistrum est."

V. 97. *ad hos ea rediit* etc. Notissima haec in rebus hereditariis locutio; cf. Andr. IV, 5, 4.

V. 110. *illic.* Pro *illic* Goveanus leg. *ibi*, quo versum melius sustentare opinatur.

illic, in domo matris. Hinc exortae sunt turbae, ab discessione Philumenae, cuius causa ignoratur.

V. 114. *It visere ad eam.* Citat nescio quis ex Plauti Mil. gl. *Vise ad* me intro, jam scies. Infinitivus *visere* pro visum supino, Graecor. more, qui infinitivo suo utuntur cum praepositione πρός. L. Vall. I, 23.

V. 120. *constitui cum quodam milite* etc. Redit ad militem, unde discesserat, supra v. 10.

V. 122. Ph. *vale.* Par. *et tu bene vale.* Alciphron, Epp. I, 27. *Ἀλλὰ χαῖρε καὶ ἄπιθι.*

Hac scena audivimus narrationem jucundissimam, quae Parmenonis, obviam facti mulieribus ore loquaci forte evaserat. In loco narrationis poterat esse actio personarum, ad quarum suae quamque pertinerent res narratae. Sed nobis superest tantum narratio scripta, sine actione personarum.

ACTUS II. SCENA I.

V. 4. *nurus.* Quae in manu filii est, *nurus* vocatur.

V. 6. *doctae ad malitiam.* Plaut. Men. V, 9, 69. „*doctis* dolis." *Doctum* pro aptum, instructum esse, ad efficiendam rem propositam.

V. 7. *hanc.* Ne, meam, dicat uxorem, dicit contumeliose satis, *hanc.*

V. 9. *ita me dii ament.* Anacoluthum jurantis. Adde: ut hoc verum est; cf. Eun. III, 2, 21.

V. 16. *Tu sola exorere.* *Exoriri* est, denuo progredi ex abdito in lucem. Sic enim notat Scheffer ad Jul. Obsequent. de prodig. c. II. „Postero die (angues nigri) *exorti*," qui scilicet pridie ab illo die erant dilapsi.

V. 17. *tu, inquam, mulier.* Verb. *inquam*, cum emphasi, nec minus aspere et concitate urgendum. Itid. Cic. or. p. Rosc. Com. 13. „te, te, *inquam*, Fanni, ab tuis subselliis contra te testem suscitabo."

V. 21. *Ideo, quia, ut vos* etc. Ab aliquo sensus verborum praebetur hic: „Hoc est, qualis vestra vita hic in

urbe est, talia ego ruri audio; ita si vos recte vixeritis, bene audio, sin prave, male.“ A fama ergo mulierum Laches dependere arbitratur suam.

V. 25. *tu hinc iss. f.* Pro vocula *tu*, irrepsit in editione Terentii mea, *ut*, solo operarum errore. Nam manu mea scriptum erat *tu*, quod chartae testantur mihi redditae. Vellem hoc unum ita esse erratum!

V. 28. *res nostra* h. e. res familiaris, fortuna nostra, conditio. Ruris enim Laches tantum acquirere et servare cupit, quanto mulieres suae in urbe habeant opus.

V. 30. *pro his — rebus.* Id est, in urbe, in domo, dum ipse esset ruris.

V. 34. *Cum puella.* Puellae nonnunquam vocantur etiam nuptae. Ovid. ep. I, 113. „quae fueram, te discedente, puella;“ sic Penelope ad Ulyssem. Horat. Od. III, 14.

V. 40. *introadmittere.* Sic voluit G. Fabricius legi pro *intromittere*, quod vulgatum est. Probamus. Nam supra 1, 2, 114. Sostrata erat non *admissa*.

ACTUS II. SCENA II.

V. 1. 2. *Etsi scio ego — tamen.* Hoc fere eorundem verborum tenore Laches utitur, vers. 5. et 6.

Quae ego imperem facere. His consona sunt Sophoclis, quae Creon dicit verba ad filium: οὕτω γὰρ, ὦ παῖ, χρὴ διὰ στέρνων ἔχειν, γνώμης πατρῴας πάντ᾽ ὄπισθεν ἑστάναι; v. Antigon. v. 635. 636. Jucundum est, ea humanitate affici loquentis.

V. 4. *scibo* pro sciam. Ecce analogia formarum promiscua.

quid sit. Var. *sit. siet.* Utraque forma veteres promiscue utuntur. Praeter Ciceronem, confirmantem id, Lucretium videamus, qui utramque, prout metrum postulet, adhibuit in his: „Quin cuiusque *sient* saecli, permultaque eodem *Sint* genere, inprimis“ etc. de rer. nat. lib. II. sub fin.

V. 11. 12. *si quid est peccat. a nobis* etc. Conf. ad h. l. Cic. ad Q. fr. 1, 1. — „est sapientiae tuae, curare, ut hoc minus sapienter a me provisum, diligentia tua *corrigatur.*“ Vide quam belle pronomina sibi respondeant, *nobis, vobis.*

V. 17. *quam ego.* Has duas dictiones Faërnus ejecit, quia nimis versum onerarent. Quaeri potest, an ceteri versus sint breviores?

V. 25. *Ehu.* Cum accessione familiari, minus obstupentis. Pro, dic, quaeso.

V. 28. *Aliud fortasse* etc. Nota, *Aliud vitii*, minus esse, quam si diceret, *Aliud* vitium. Nec alio modo, in Andr. I, 5, 15. „*Aliquid monstri.*“

ACTUS II. SCENA III.

V. 1. 2. *Aedep. nae nos sumus* etc. Quae sententia ex Euripidis Jone venisse videtur, unde a Mureto ad comparandum prolata, quamvis, ut mos est illius, absque numero versuum. Versus autem illi sunt 398—400. quibus Creüsa effatur haec: *τὰ γὰρ γυναικῶν δυσχερῆ πρὸς ἄρσενας, κἂν ταῖς κακαῖσιν αἱ 'γαθαὶ μεμιγμέναι, μισούμεθ'· οὕτω δυστυχεῖς πεφύκαμεν.* Hanc fere omnium mulierum querelam Sostrata quoque movet Terentiana, neque id injuria. Asperum enim Lachetem ac injurium in uxorem suam quis non videt?

V. 7. *jam expeto, ut redeat domum.* Merito *expetit* reditum filii mater, quae ubique accusari videtur, nullibi defensa. Tamen inscriptio, seu titulus totius dramatis servatur, ut hecyra vel socrus sit, quae in suspicionem impedimenti turbarumque factarum venerit, quamvis sine causa.

ACTUS III. SCENA I.

V. 2. *parsi.* Cornel. Fronto ait: „*parsi* et peperci, parsi semel, peperci saepius.“ Terentii solum *τὸ parsi* esse Fronto annuerit, an in scriptis aliorum, ipse non liquide dixit.

V. 6. *objectus lab. Objiciendi* verbum *μέσον* est. De re tristi enim usurpatur, Adelph. IV, 4, 2, de re laeta, Heaut. I, 2, 12. *lucro est.* Haec verba cum, quae vulgo leguntur superioribus *nos omnes*, v. 6, nemo est qui construat. Et, si Schulzius *omnibus nobis* legisset, in anacoluthon nunquam incidebat. Gr. lat. §. 107.

V. 9. *hae irae.* In uno codicum Bentleji *haec*, insolentius pro *hae.*

V. 12. *Levia sunt haec* etc. Pronom. *haec* Muretus non tolli vult propter vers. jambic. octonarium. Quod argumentum huius versus attinet, simile invenimus Ter. Varronis, de r. r. I, 4, 6. „quod *graviora* quae sunt, ea diligentia *leviora* facere possimus.“ Hoc modo Seneca ait: „Crede mihi: *levia* sunt, propter quae non leviter excandescimus“ etc. de ira 3, 34.

V. 22. *uxori obnoxius sum* h. e. morem gero *uxori.*

V. 26. *Haud quidem hercle* etc. Muretus leg. *Hoc* pro *Haud.* Sic esse idem testatur in Goveani libro. Ac profecto, *Hoc parvum*, commodius pro argumento rei dicere Parmeno videtur, quam, *Haud parvum.* Praeterea meminimus, in Andria, II, 6, 18, quod Davus servus item levat, *puerile est*, dicendo.

V. 27. 28. *Non max. — inj. Faciunt.* Poetam dixisse ὑπαλλακτικῶς, pro *injuriae* iras, in eo errat Donatus. Namque non intellexit, *Faciunt* esse pro Perhibent. Quae significatio caret quidem exemplis, inesse tamen videmus in contextu rerum. Nam sensus totius est: Non semper injuriae eae sunt, quae irae inde exortae. Id vero Terentius geminata voce, Non *maxumas*, quae *maxumae*, expressum dedit lepide atque facete.

V. 29. *Cum*, al. *Quum.* Bentlejus autumat, Terentium scripsisse ubique locorum *Cum* pro *Quum.* Contra Wernsdorfio cum aliis videtur, Ciceronis esse proprium *Quum.* Ego quidem persuasus sum, in varietate sola scribendi esse *qu* et *c*, quo modo, se*qu*utus, se*c*utus; *qu*otidie, *c*otidie; *qu*oi antique pro *c*ui etc. Sunt qui putent, figuram literae Q ex C, in rotundum extenta, esse ortam, et aequali sono utrasque audiri, cum V adjuncta supervacanea videatur.

V. 35. *rursum prorsum.* Ter. Varr. in Fragm. Bip. p. 321. „Mortales multi *rursus ac prorsus* meant." Cum hac nota: Videtur dicere, variam et intestabilem esse vitae rationem etc. Ennius in Andromeda: „*Rursus prorsus* reciprocat fluctus feram." Additur ibi noster Terentii locus citatus.

V. 39. *perii.* Praeteritum temp. in deterius vertitur, quam praesens, nulla spe relicta. Eun. I, 1, 9.

V. 43. *medic. addux.* Sic proprie it. Varr. R. R. I, 69. „ut *medicum* requirerent, ac mature *adducerent.*"

ACTUS III. SCENA II.

V. 3. *Salus*, cf. Adelph. IV, 7, 43. *Salutis* imago, unacum Apollinis, nummis aeneis impressa vulgo invenitur.

V. 8. *ipsus.* Popma de u. l. I, 10. „Pronomina," inquit, „longe aliter protulerunt vetustissimi, quam nos hodieque efferimus, ut *ipsus* pro ipse in comoediis passim legitur."

V. 11. *Diis grat. hab.* cf. Phorm. V, 8, 1. „*Gratias diis* ob beneficia accepta vel, ubi bene ac feliciter evenerant, agi aut *haberi*, moris erat." Brisson.

V. 14. *dolores*, acies parturientis. Homer. Il. XI, 268. — ὀξεῖαι ὀδύναι — Ad hoc vid. Heyne. (Vers. tetram. catalect. vel septenarius, abundante syllaba *res.*)

Philumenam. Accusandi casus, propter verbum *remittent.* Liv. II, 34. „ubi ea (pestilentia) *remisisset.*" Subauditur, se. De quo Liviano Drakenb. non magis copiosus est, quam de nostro Terentii citato. Quod vero plures voluerunt, *Philumenae dolores*, alii aspernantur. Verum non video, quidni conveniat dicere, *remittere* aliquem, vel cum Terentio, *remittent Philumenam dolores?* cum aliis datur, se *remittere*, ut Nepoti in Alcibiad. I, 3. „simul ac se *remiserat.*" Nominativus inest in verbo, *remiserat*, accusativus in pronomine, se. H. l. nominativus dilucide exprimitur per, *dolores*, accusativus per, *Philumenam.*

V. 16. *Quae inter nos intervenit.* Bentlejus legi vult *intervenerint*, quod etiam recepit in textum. Nam *Quae* pro neutro habet plurali, non refert ad *rem.* In lib. Bembino *intervenerit.* Vulgo *intervenit.*

V. 22. *quotidiana* febris. De febrium vicissitudinibus, quantum a veteribus percipi posset, satis nos dixisse putamus. Jam addimus Ciceron. ad Attic. X, 16. „Tu quoniam quartana (febri) cares." A. Popma, de ecclipticis, cap. XI. Pluribus adnumeratur „febris."

ACTUS III. SCENA III.

V. 12. *videndi.* Errat Zumptius, qui hoc *videndi* participium esse judicat. Nam si id esset, ponendum erat *videndae* sc. Philumenae, quae sub *ejus* significatur. Gerundium est *videndi.* De qua re videatur noster commentarius.

V. 18. *ad genua accidit.* Euripid. Hecub. v. 339. Hecabe ad Polyxenen: *Πρόσπιπτε δ' οἰκτρῶς τοῦδ' Ὀδυσσέως γόνυ.* Itid. Senec. Troad. v. 694. Andromache ad Ulyssem: *ad genua accido* Supplex.

V 23. *ab nescio quo improbo.* Omne vero quod injustum, illicitum ac incivile est, ICti vocant *improbum.* Et Cic. Verr. 1, 42. „testamentum *improbum.*" „*Improbus*, qui contra leges facit." Ernesti.

V. 33. *tecum concub.* Cic. Rhet. 1, 41. „cum viro *concubuit.*" Quod Romani naturaliter verbis exprimere cogerentur, id non inhoneste arbitrabantur dixisse.

V. 34. *postq. ad te venit, mensis* etc. Incidit in mentem Alciphr. epp. III, 63. *Μηνὶ πέμπτῳ μετὰ τοὺς γάμους τέτο-*

κεν αὐτῷ τὸ γύναιον παιδίον ἄῤῥεν. Mense quinto post nuptias peperit — ipsi infantem masculum.

mense septimo. Etiam *septimo mense* parturiri posse disputat Macrobius, Somn. Scip. I, 6.

V. 38. *abortum.* Quid inter *abortum* intersit et aborsum, de hoc consulantur Jureconsulti; nobis vix curae est. Calvin. Lexic. juridic. Pro *abortum esse*, dicere quoque convenit, *abortum* fecisse. Sic Plin. VIII, ep. 10. „hoc trist. audies, neptem tuam *abortum* fecisse."

V. 40. *Continuo exponetur.* Alciphr. epp. III, 63. τοῦτο (τὸ γύναιον παιδίον) — ἔδωκαν Ἀσφαλίωνι — κομίζειν ἐπὶ τὰς ἀκρωρείας τῆς Πάρνηθος etc. — quem cum fasciis collaria quaedam et notas addentes, tradiderunt Asphalioni operario *exponendum* in vertice Parnetis etc. (qui mons est Atticae.)

V. 46. *perpet.* Popma de different. verbb. lib. IV. „*Perpetuum* proprie ad homines, sempiternum ad deos pertinet."

V. 52. *si clamorem ejus* etc. Huiusmodi *clamor*, scilicet parturientis, Andr. III, 1, 15. Veteres non verentur, quae res est, indicare simpliciter.

Haec scena, quia narratione continetur personae unius, caret actione inter plures. Qui autem in scena narrat, id facit, quod absurdum esset, non suâ, sed auditorum causa, ut sciant, quae gesta fuerint intermedia.

ACTUS III. SCENA IV.

V. 3. *Tantum, quam* etc. Al. *Tantum, quantum*, ut quarto loco sit creticus, *nāvigā* —

V. 10. 11. *denique hercle aufugerim potius* etc. Haec usque Sosia servus de itinere, quod cum Pamph. hero fecit in Imbrum ac retro. Profecto autem non pauca erunt, quae, uti fit inter servos, iste vel exaggeraverit, vel fuerit mentitus. Hoc modo certe, qui in comoedia agat, studere se necesse est, ut τὸ πρέπον, quod aptum vel accommodatum suae est personae, servet ac tueatur.

V. 17. *transcurso opus est.* Operae pretium est monere, scriptores optimae notae participio praet. passiv. uti solere pro ablativo nominis. Plaut. Most. IV, 2, 22. „cauto *est opus*." Et sic Cicero, Livius centies. Super hac dicendi forma Sanctius, in Minerva, lib. 4. c. 15. disputat, more suo, subtiliter. Itid. Perizonius nostrum locum latius explanat.

V. 25. Sonat non aspere, *faciem* — *faciam*. Haec sua-

vitas Terentianae orationis, ut saepe monuimus, non una est, quae aures nostras delectet. Supra I, 2, 57. et ubique locorum.

V. 27. *Dii illum perduint!* Est formula exsecrandi, ut Plaut. Truc. II, 3, 10. „*di me perduint!*" Antiqua forma est, *perduint*, uti faxint, aliaeque huiusmodi, in formulis sacrorum solemnibus reperienda. Non desunt grammatici, qui nihil non explicandum sibi opinantes docent, *perduint*, faxint idem esse, quod, perdiderint, fecerint.

V. 34. 35. *parenti potius, quam amori obsequi oportet.* Praeclare dictum, dignumque optimo filio. Talis enim animus etiam Pamphili in Andria ostenditur, I, 5, 28. inter obsequium patris et amorem dubitantis.

ACTUS III. SCENA V.

V. 1. 2. *Dixistine dudum, illam* etc. Donatus recte sentit, qui exponit: „Captiosa interrogatione, *Dixtin' dudum* etc. coepit dicturus, *Venisse ajunt: red.*"

V. 11. *bene*, laute, luxuriose. Eun. V, 8, 44. Nec omittendum, in ambiguo, *bene vivere*, esse, aut laute luxurioseque, aut honeste et cum probatione significans. Cf. Cic. de Fin. II, 8. de partic. *bene*.

vixit. Et proprie, et pro abiisse, vita decessisse, sumendum.

V. 17. *Noli fodere.* Per metaphoram *fodere*, seu improprie. Id est, latus alicuius digito extremo percutere. Proprie idem est verbum, Heaut. I, 1, 17.

V. 18. *Omnem rem scio, ut sit gesta.* Haec interrupta verborum constructio, *scio rem*, et, *ut sit*, graecae similis est, etsi Terentio familiarissima. Infra IV, 1, 60. Conf. Grat. Falisc. Cyneg. v. 217. 18. „Vidit artes, qua patuit via." pro, vidit, qua artibus — patuit via. Quem vero hellenismum ad Romanos transiisse notat ibi Ulitius, Anacreontis citato hoc: *Ἐγὼ δὲ τὰς κόμας μὲν, Εἴτ' εἰσὶν, εἴτ' ἀπῆλθον, οὐκ οἶδα.* Od. XI, 6.

V. 26. *discidium evenisse.* Cic. p. Coel. 25. „sin autem suberat simultas, exstructa erat consuetudo, *discidium* exstiterat."

V. 37. *Quod nollem etc.* Suave est, per antithesin, *Quod nollem, quod vellem.* Supra 4, 25.

V. 40. 41. *vitam exigat Cum eo viro.* Haec locutio Plauti, Mil. gl. v. 1025. „Tecum *aetatem exigere* liceat."

V. 50. *Ita nunc is* etc. Bentlejus mire ordinat, *Itan' is nunc sibi me.* Sed mollius et rectius verba nobis sequi videntur, *Ita nunc is sibi me.* Latine quoque pronomina proxime sibi posita amantur. Adelph. V, 8, 35.

V. 52. *renumeret dotem.* De reddenda *dote* audiendus est inter ICtos Romanos Proculus, qui dicit: „Cum inter virum et uxorem conventum, ut, quibus diebus dos data, iisdem, divortio facto, redderetur.“ Brisson. Sed dubito, an tam justa certae diei pactione ageretur, cum res absolvenda esset in praesentia.

V. 59. *annon.* Particulae interrogandi, *an*, ne, aut compositae eaedem, *annon*, necne, quomodo differant, vid. Ramshorn. gram. lat. §. 174.

V. 64. *cuius haec fiunt consilio omnia.* Quasi summa rerum circa socrum agatur.

V. 65. *in eam — quod — evomam.* Cic. Lael. 23. „anquirat aliquem, apud quem *evomat* virus acerbitatis suae.“ *Evomam*, rustice dictum, ab irascente non mirum, et propter ea, quae adjecta sunt, *hoc omne, quod mihi aegre est,* maxime concedendum. Terent. Adelph. III, 2, 14.

ACTUS IV. SCENA I.

Huius scenae primos versus, valde perturbatos in omnibus libris, Muretus arbitratur recte distinxisse, ut primus sit jambicus octonarius acatalectus, secundus catalecticus, tertius trochaicus catalecticus, et sic deinceps ceteri, vel hoc vel illo modo.

Sunt qui existiment, istam scenam ultimam esse actus prioris, praecipue ob id, quia vix ullum spatium temporis detur interjectum. Nam Phidippo egressuro Myrrhina, in via quidem, occurrit. Idque esse in causa videtur, cur ille protinus redeat in scenam, ut conventam adeat uxorem. Attamen in fere omnibus editionibus haec scena quarti actus facit initium.

V. 3. *Ita corrip. derepente* etc. Supra III, 3, 5. 16. et 2, 21. Particula *ita* ponitur pro, hanc ob causam, ut sit sensus, ex hoc ordine verborum: Quia *audivit vocem* etc. *ita* (hanc ob causam) *corripuit se* etc. Sed animadvertendum est, quomodo membra sermonis comici disjecta passim videantur, non, ut in periodo orationis inter se connexa.

V. 10. *Nam si* etc. *mulier*, *unquam* etc. Hoc fere animo concitato vid. Cicero p. Coel. 15. „Tu vero *mulier*, (jam

enim ipse tecum — loquor) si ea, quae facis etc. probare cogitas:"

V. 19. *cum illo nupta.* *Nubere cum* aliquo pro alicui, quod est frequentius, etiam Cicero posuit pluries, ut Verr. II, 4, 61. Top. 4. „Si mulier, quum fuisset *nupta cum eo*, quicum connubium non esset" etc. Id. Fam. 15, 3. „regis Parthorum filium, *quocum* esset *nupta* regis Armeniorum soror." Add. Plaut. Asin. V, 2, 20.

V. 25. *mavolo* pro *malo* in al. libb. Verbum antiquum *mavolo* in Palatino cod. esse G. Fabricius testatur.

V. 28. *jam aderit* etc. *cum oderit.* Hoc fere modo Andr. I, 1, 125. *quoque.* Pro hoc legendum censeo *quisque*, ut nominativus detur verbo *oderit.* Nam quis est, quem non gravet senectus? Molliter tangit, quae tacet. Quam modesti videantur senes, cf. IV, 2, 19. 20. V, 1, 11.

V. 39. *avellere.* Eod. verbo utitur in simili re Ovidius, Trist. I, 3, 79. 81. — conjux humeris abeuntis inhaerens, Miscuit haec lacrimis — dicta: „Non potes *avelli.*" Ter. Eun. III, 3, 14.

V. 40. *Quacum consuesset* etc. Donatus ait: „*consuesset* proprie dicitur in stupro." Phorm. V, 6, 33.

V. 45. *sensti* pro sensisti, ut *Dixti* pro Dixisti, supra III, 5. Huiusmodi contractiones aliae, propter metrum.

V. 47. *incendor ira.* Sic et Livius loquitur II, 12. „*Incensus ira* oratores Romam misit."

V. 57. *Nam cum compressa* etc. Citatur hic versus a Prisciano, lib. X. Cuiusmodi ille τετραμέτρους quaternarios vocat libro XVIII.

V. 59. *eripuit vi — virgini — annulum.* Comparatur huic quodammodo Horat. Od. I, 9. fin. „Pignusq. direptum lacertis;" etsi Horatianae puellae non vi illud eripitur utique invitae, quemadmodum Terentianae.

V. 60. *Simul vereor Pamphilum, ne orata* etc. Miramur, cur Muretus legat: *Simul vereor, Pamphilus ne* etc. cum idem fatetur, magis comicum esse: *Simul vereor Pamphilum, ne orata.* Quod etiam hic aeque Terentii esse, atque in Eunucho: *Ego illum nescio, qui fuerit* etc. nemo non videt. Itid. Phorm. III, 2, 6. Distinctionem commatum hic illic variare, vix dignum est notatu.

ACTUS IV. SCENA II.

V. 4. *ut caperet odium illam.* Al. leg. *illa.* Falso. Nam in usu est, capit quem odium, non, capit quis odium; cf. Eun. III, 1, 13. 14. Sic taedium, Liv. 8, 2. Cic. Phil. III, 4. *cepit* me oblivio. Ex hac syntaxi non conforme sequitur, quod est, supra II, 1, 23. *ni id fecisset.* Illa autem redit eadem, v. 18.

V. 8. *praemium posit. — pietati.* Alii *pietatis* legunt, minus recte. Nam verbo *ponere* latine addunt dativum nominis, ut Liv. 39, 17. indicique *praemium proposuerunt.* Virg. Aen. 1, 461. „Sunt hic sua *praemia* laudi," sc. proposita, quod supprimit poeta. Sed facile fieri poterat, ut librarii errore, lit. s, ab sequenti voce retracta, adfigeretur praecedenti. Hoc idem factum esse putatur, Liv. 3, 63. cum voce „potestatis," pro qua alii libb. habent „potestati." Locus ipse sonat: „ne ita omnia tribuni potestatis suae implerent." Ubi contra litera s, ab eadem sequenti absorpta fuerit.

V. 18. *satias jam tenet.* Sallust. Jug. init. cum accusativo personae: „nisi forte quem inhonesta libido *tenet.*" Etiam structurae huic verborum, *satias tenet Studiorum* etc. Fischerus comparavit Aeschinis illud: „ἅλις ἔσχον τοῦ βήματος, *satietas* suggestus me cepit." Dialog. 3, 13. Nam ἅλις, *satis*, construitur cum genitivo rei. *tenet*, cepit, uti Liv. 30, 3. „si forte *jam satias* amoris in uxore — (Syphacem) cepisset."

V. 19. *ut ne.* Harum utriusque partic. conjunctio est Terentio consueta. Ni forte, *ut ne*, idem est, quod graece ὅπως μή, uti Aristoph. Ran. v. 993—94. vel ἵνα μή. Hoogeveen de particul. L. gr. ed. Schütz. p. 274. Particulae ἵνα additur plerumque μή, ut saepius sit, *ut ne*, pro, quo minus.

V. 20. *Longinquitas aetatis obstet.* Incidit hic, quod Cicero adfert Caecilii: „Sentire ea *aetate* esse se odiosum alteri." De senect. c. 8.

V. 25. *absque — hac.* Duplex lectio, *hac* et *haec*, ut *absque* sit aut praepositio aut adverbium. Praepositio est, Phorm. I. 4, 11. Adverbium vix norunt grammatici. Solinus tantum *absque* adhibet pro, praeterquam. Dictionem autem, *absque esse*, *absque fore*, pro abesse, seu, nullum adesse, Terentio plerique attribuunt usurpatam. Tursellin. de particc. memorat esse eam pro χωρὶς Graecorum.

absque una h. foret. Hoc comice dictum, a sermone domestico non alienum. Itid. Phorm. I, 4, 11. Et Plaut. Men. V, 7, 33. ubi Taubman. Per paraphrasin praebemus id

intellectum: Nisi hoc unum esset, ut haberem etc. Nostro ore: *Wenn das eine nicht wäre, dass* etc. Praepositio *absque* quomodo differat a sine, Ramshornius scite docuit, gr. lat. §. 150. Add. Zumpt. gr. §. 306. Ceterum non est, quod *una* positum miremur. Quamvis enim duo sunt, quae Pamphilus spectat, et *matrem* et *uxorem;* tamen *una* sc. re, quippe qui domi, non in foro, dicit.

ACTUS IV. SCENA III.

V. 3. *post idem.* Est Plautina vox *postidea,* quam eandem Terentii esse quidam putant, ex qua librarios ignoratione ejusdem fecisse, *post idem.*

V. 4. Sonant non temere, *ubi, ibi; ergo, ego; te, me.* Cf. III, 4, 25.

V. 7. *quid ita istuc vis?* Alii omittunt *vis,* ut etiam nos putamus, elegantius. Andr. I, 2, 15.

V. 9. *Quid vis facere.* Muretus et Goveanus omittunt *facere.* Ac vere *Quid vis* solum magis comicum nobis videtur, quam idem cum *facere* adjuncto. Quod nos olim in contextum recepimus, id nunc faceremus minime.

V. 14. *nos jam fabulae.* Locutio vulgaris. Sic Hor. Epod. XI, 9. 10. „Heu me, per urbem — *Fabula* quanta fui." Et Tibull. I, 4, 63. „ne turpis *fabula* fiam." Erasm. in adagiis, „Fabula nunc ille est" etc. In omnium ore ac sermonibus versari etc. Plura vide apud ipsum.

ACTUS IV. SCENA IV.

V. 11. *Lache.* Hoc legit Priscianus lib. VII. in vocativo, pro *Laches* aliorum. Sic est v. 42. Idem nomen apud Thucydid. 3, 115. 6, 1. *Λάχης, Λάχητος.* Hinc certe patet, Lachetis, non Lachis, declinandum.

V. 13. 14. *Ego, Pamphile, esse inter nos* etc. Hoc videtur initium gravioris orationis, qualis in Andr. 1, 1, 8. *Ego postquam te emi* etc.

esse inter nos Adfinitatem etc. cf. infra v. 101.

si fieri potest. „Recte: quia non convenit rogari a socero generum." Sic Donatus. Nos addimus ex Andr. 1, 2, 19. quod dominus ad servum dicit: — *postulo, sive aequum est, te oro.* Tantopere observat Terentius, quod aptum est personis.

V. 27. *sequitur.* al. *consequitur.*

V. 36. 37. *Nunc, cum ejus alienum* etc. A *praesenti temp.* Donat. „Nec *conventurum*, a futuro." Id. Aegre credimus, huius notationis, quae tam exigui momenti est, auctorem esse Donatum. Huic enim permulta supposita esse non ignoramus.

V. 48. *ut alamus nostrum.* Discrepant inter se. Pamphilus puerum vult expositum, Laches alitum. Sic apud Graecos, τρέφειν aut ἐκτιθέναι. Aliter apud Posidonium, cuius verba latine damus breviter: Quamvis sint pauperes, tamen alunt filios: sed filias exponunt etiam divites. Verum Pamphilus recusat puerum, quem alienum putat.

V. 62. *spatium amandi amicam.* Pater filio finem amoris meretricii faciebat, quum diceret: volo te ducere uxorem; cf. Andr. I, 1, 124.

V. 79. *Omnib. modis miser sum.* Id est graece, per ellipsin, παντάπασι δυστυχῶ. Lamb. Bos. Ubi hoc Terentianum, exempli causa, commemoratur.

V. 88. *Amarae mulieres.* Pluralem numerum adhibet pro singulari, *uxor*, v. 87. Ita Virg. A. 12, 875. „Ne terrete" etc. ubi Furia una, non plures.

V. 92. *a nuptiis.* Modestinus I. definit esse *nuptias* „conjunctionem maris ac feminae, consortium omnis vitae." Add. Heinecc. Syntagm. p. 144. Ergo non miramur, si vaga libido juvenis a tali re abhorrebat.

ACTUS V. SCENA I.

V. 2. *quod suspicor.* Cf. Cic. Verr. II, 5, 28. „qui non modo ea, quae perspicua essent, videre, verum etiam occulta *suspicari* possent."

V. 7. *te — foras puerum evocare jussi.* Dictio scenae solemnis. Plaut. Men. I, 3, fin. „Er. *Evocate* intus Cylindrum mihi coquum actutum *foras.*" Post scenam qui sunt, evocantur.

huc foras. Ni fallor, e voce *foras* licet suspicari, comoedias, sicut ceteros ludos, solitas agi sub dio, in theatro quidem aedificato, sed non ad nostrum morem, tecto superne.

V. 9. *Ne nomen quaesti mihi obsiet.* *Est quaesti* pro quaestus, aevi recentioris. *Ne nomen — mihi obsit.* Hoc fere modo, ap. Liv. 34, 31. Nabis Lacédaemoniorum tyrannus, in colloquio cum Quinctio imp. Roman. dicit: „Ceterum *nomen* tyranni et facta *me* premunt." Nomen est fama alicuius.

nam mores facile tutor. Etsi meretrix, cetera tamen probatur. Vid. Alciphron. quod est, ep. 29. lib. 1. ad imaginem Terentianorum: Glycera ad Bacchidem: *Δέδοικα δὲ, ὦ φιλτάτη, οὐ σὲ τοσοῦτον* etc. (*χρηστοτέρῳ γὰρ ἤθει κέχρησαι τοῦ βίου*) Timeo autem non tam te, carissima etc. (quae sinceriores, quam pro vitae nostrae ratione): unde declaratur, inveniri etiam meretrices, quae non sint de vulgari grege. In similitudinem dicti, *mores facile tutor*, adfero Jul. Capitolinum de M. Anton. XIX. dicentem: „cum suos *mores* semper teneret“ etc.

V. 11. *aetate ea* h. e. senex sum, aut, *ea aetate* provectus *sum*, *ut* etc. In hunc modum Cicero loquitur, de Offic. I, 34. „Luxuria vero — senectuti foedissima est. Sin autem libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est“ etc. Cetera vide apud ipsum. Noster Laches scite jocatur, nec sibi a muliere quidquam, nec isti a se pericli timendum esse.

peccato. Quid sit, quo peccetur a sene, non latet in loco Ciceronis notato. Patet autem elegantia vocis *peccato*, qua Laches utitur, ne detrahat aetati ac dignitati suae, si dixisset: si rem habuerim tecum, meretrice. Puderet enim, me senem dici rem habere. De usu participii *peccato*, nihil nobis restat, quod dubitemus, etsi multum in eo laborarunt interpretes. Ceterum *Lacheti* similis videtur Plinius aliquo loco delicate ac sancte excusare aetatem suam amico ob virginem.

V. 12. *omnes res.* Bentlejus ordinat ex libris suis, *res omnes.*

V. 15. *magna gratia.* Bentlejus: *magnam gratiam.* Quo minus claudicet versus. Collocat: *Est quod hab. t. magnam gratiam*, secund. Plaut. Rud. IV, 6, 32.

V. 19. *Mane*, dicit; ergo abitura est.

V. 21. *Nam*, particula declarandi.

neq. ille hoc. an. er. aet. Quia *animus* amatorum non idem manet, sed mutabilis esse solet.

aetatem. Ellipsis praepositionis est, per. Lamb. Bos. v. *ὅλος.* Sic *δι᾽ ἡμέρας* pro *δι᾽ ὅλης ἡμέρας.* Haud secus, *aetatem* pro, per *aetatem.* Et quemadmodum Donatus exposuit: „tam diu, quam longa est aetas.“ Etiam: per omnem vitae *aetatem.*

neq. pol tu ead. ist. aetate. Quam parcit senex mulieri, ne dicat, ea *aetate*, qua defloruerit tua juventas. Non suf-

ficit hoc. Tantum abest enim, ut dicat: manebis, ut ne *eris* quidem repetat, quod e praecedente, *erit*, debebat.

V. 27. *Lepida es* etc. Abhinc versus sequuntur trochaici catalectici, qui finiunt ultimo jambo.

V. 30. *quod — si esset — haud faceret.* Vide quam eximit se Bacchis a vulgo meretricum. Et propter has bonas meretrices a se introductas se excusavit Terentius, in Prologo Eunuchi, cum vulgo solitae fuerint scenicae meretrices malae.

V. 32. *Sed nolo esse falsa fama* etc. *Fama* meretriculae libero homini damnosa. Aristoph. Nubb. v. 993. *ἵνα μὴ — Μήλῳ βληθεὶς ὑπὸ πορνιδίου, τῆς εὐκλείας ἀποθραυσθῇς.* ne — Malo petat meretricula, famaque tua detrimentum capiat. Quem enim, uti constat, malo peteret puella, ei videbatur favere prae ceteris.

V. 39. *Sed reprimam me.* Hac dicendi ratione Symmachus, epp. I, 4. „*Sed reprimam me*, neque his querelis ulterius immorabor, quas" etc. Aposiopesis sic dicta. Ut haec illi conformetur, quae est in Heaut. I, 2, 25. Bentlejus verb. *facias* emisit. Perinde ac si hic senex non aut voluisset aut potuisset plus eloqui, quam ille. Non placet Bentlejus, qui Terentii personarum sermonem velit ubique fere locorum esse eundem. Pateremur sane virum ita volentem, sed minus tunc, quum ea opinione occupatus audeat mutare verba ipsa Poetae.

V. 41. *quam inimicus.* Scilicet qui potentior sit in civitate, nocere possit. Omnino monendum hoc existimamus, personas dominorum matronarumque Terentiani dramatis dignitate ac facultate valentiores cogitari debere. Id quod ex pluribus prodit dilucide; e. c. Phorm. II, 2, 49. etc.

ACTUS V. SCENA II.

V. 1. *Nil apud me tibi.* Hic versus, his quatuor constans verbis, pars finalis est ultimi scenae praecedentis. Hunc quidem Faërnus trochaicum tetrametrum in libris scriptis invenit.

Nil — Defieri patiar, quin, quod opus etc. Similiter Plaut. Men. I, 4, 3. „Neque *defiat*, neque supersit." Non placet Bentleji: *quin, quod est* delito *opus*. Non multum decst, quin aegre feramus tot tamque insolitas Angli mutationes. Id quod modo supra reprehendimus.

V. 7. *Ancillas dedo: quolibet cruciatu* etc. Satis iniquum videtur in dominos ipsos. Cicero namque, Partitt. 34, torqueri etiam liberos apud Athenienses vituperat, cum Romani de servis in dominos quaeri noluissent.

V. 13. *crimini. Crimen*, quod objectum quidem est, sed non convictum; Tacit. An. III, 12.

V. 14. *Missam iram faciet.* Cic. de Offic. I, 11. se audisse, eum *missum factum* esse a consule. Ibi var. l. *dimissum.* Sed *missum* aliquem facere, pro dimittere, frequentissimum est.

V. 18. 19. *non tu te ipse dud. audivisti* etc. Audiverat enim Laches Phidippum, quo animo ipse ac sui essent, declarare, supra II, 2, 21. seqq.

illis. Non cum G. Fabricio facimus, sub pronomine *illis* Lachetem latere et Bacchidem existimante. Myrrhina et Philumena debent persuaderi, Pamphilum esse patrem recens nati, non alium. Hoc ita esse, ostendit versus 21. Add. infra 3, 34.

V. 23. *a viro ubi segregata est.* De voce, *segregata*, ambigitur. Hostis vel inimica est meretrici nupta, suspicans se per illam esse a viro segregatam. Aliter *segregatum* supra 1, v. 26. sumendum est, ubi Bacchis confirmat, se Pamphilum virum segregatum habuisse a semetipsa.

V. 25. *At easd. amicas* etc. Pulchre resonant verba Phidippi cum Lachete consentientis.

V. 29. *sine suo dispendio.* Corn. Fronto de differ. vocabul. „Compendium undique ad pondus pertinet. *Dispendium* detexitur in ponderibus."

ACTUS V. SCENA III.

V. 11. *Quid eo?* sc. ad Pamphilum. Subaudi, propter, ut sit, propter *Quid.* Eodem fere modo, *quid stas?* Heaut. II, 3, 9. *Quid consolare me?* supra III, 1, 13. Ita gr. *τί*, Xenoph. *τί μένομεν;* quid, cur manemus?

dic me amare, ut etc. Taubmannus ad Plaut. Men. II, 3, 71. „Sed scin' quid te amabo, ut facias?" citat Terentianum, non *orare*, sed *amare*, quippe quod ille posuisset, non *orare*; et interpretatur, amare, esse, quod gr. *στέργω*, pro *oro.* Sic visus est ei Terentius ex Plauto mutandus. Est autem *amare* in nullo libro inventum.

orare ut ven. cf. Eun. III, 3, 22. *immo*, cf. Andr. I, 2, 30. Multum interest, Terentium conferre cum semetipso, ut ita cognoscamus eum dilucidius.

V. 13. *cognosse annulum* etc. Ab *annulo* incipiunt res turbatae exsolvi. Ideo finis comoediae accedit propior. Cf. infra v. 23.

V. 14. *quem ips. ol. mihi ded.* Alio ordine leguntur, *quem mihi ipsus olim dederat*, multo elegantiori.

V. 19. *Quot commodas res* etc. Pulchre per antithesin, ut solet, *commodas res*, *curas; attuli*, *ademi.*

V. 27. *Quid exanimatus*, perturbatus. Perturbatio enim sicut annulo amisso exorta est, ita reperto eodem sedatur.

V. 30. *nescio quam.* Additum erat olim, *virginem*, quod redundare Erasmus, Goveanus, Glareanus et G. Fabricius recte viderunt. Nam Terentius quoties verbo, *nescio*, utitur, toties id cum pronomine solo conjungit, non addito substantivo. Ad quod probandum, videndi sunt loci, And. II, 2, 3. V, 6, 2. Heaut. V, 1, 61. Hec. III, 3, 23.

V. 42. *Multa ex quo fuerint* etc. Haec sententia proverbialis esse videtur, cui potest accommodari, quae est Adelph. II, 1, 52. 53.

ACTUS V. SCENA IV.

V. 3. *Deus sum*, *si hoc ita est.* Beatissimi dii esse praedicantur etiam Graecis. Scut. Hercul. v. 476. τιμῶντες — φίλον μακάρεσσι θεοῖσι. Quod Pamphilus deus sibi visus est, eo se putat beatissimum.

V. 8. *Quis me est fortunatior? venustatisque* etc. Ne omittamus hunc locum a Symmacho epp. I, 78. citatum ita: Jam mihi comici adolescentis voce clamandum est: *Quis me hodie fortunatior? venustatisque adeo plenior?* Videmus inde, Symmachum legisse *hodie* pro *est*, quod nunc habemus. Nisi forte non integra Terentii voluerit transscribere, sed tantum ea ad diei fortunam accommodare.

V. 11. *Nam neq. in nuntio.* In aliis libb. est *etiam* ante *in nuntio.* Quod vero vim vel significationem vocis *etiam* attinet, aurea aetas Romanorum usurpabat pro, adhuc, aevi serioris.

V. 12. *qui ab Orco mortuum* etc. Recte hoc, si comparaveris, supra 3, 20. *qui — periit.* Sed rectius accipietur hyperbole haec cum ironia.

V. 17. *factis ut credam, facis.* Persistimus in nostra distinctione verborum, ut sensus sit, *facis*, ut *facta* tua *credam* animo integerrimo exorta esse, non simulata. At si distinguitur ita: *factis*, ut *credam*, *facis*, alia eruetur sententia.

V. 18. *antiquam venust.* Quemadmodum Tacit. Hist. II, 64. dicit: „et pari probitate mater Vitelliorum, Sextilia, *antiqui* moris.“ Tacito sufficit, *antiqui* moris dixisse; aliter Pamphilus, qui addit *venustatem*, formosae seu *venustae* meretricis, ejusdemque amatae. Et alias recte utitur Terentius voce *venusti* de feminis iisdemque formosis, ut Andr. I, 1, 92. 93. Eun. III, 2, 4.

V. 19. *ut voluptati obitus* etc., *sermo, adventus tuus* etc. Profecto nihil melius, nihil aptius optari poterat meretrici. Sapit et accipit haec mulier, quippe quae non minus suavia ac jucunda Pamphilo scite faceteque reddit, versu 20. et 21.

V. 23. *meis oculis videram.* Sic emphatice Euripid. Helen. v. 117. ὀφθαλμοῖς ὁρῶ.

V. 24. *Perliberalis visa est.* Quanta laus est uxoris a meretrice, aemula eademque!

V. 25. *dixisti jam patri?* De annulo patres nihil cognoverant.

V. 34. *non licet.* Repellit hominem curiosum; quomodo id fecerat, supra III, 3, 49. 50.

V. 37. *Immo vero scio.* Haec verba a Parmenone vere an ironice veniant, in medio relinquitur. Certe Pamphilus eum irridet.

neque hoc imprudens feci. Sic comice Parmeno. Quasi meritum suum sit, quod factum est. Ideo Pamphilus risu simulatur respondisse: *ego istuc satis scio.*

V. 39. 40. — *plus hodie boni feci imprudens, quam sciens* etc. Sententia Plautina est ex Captiv. Prolog. v. 44. 45. — „saepe jam in multis locis *Plus* insciens quis *fecit, quam sciens, boni.*“

Ceterum videtur Parmenonis servi seu vera seu simulata persuasione, quam bene fecerit, jucundissime claudi comoedia.

PHORMIO.

PROLOGUS.

V. 3. *parat.* *Parare* est intendere, Horat. Epp. I, 3, 14. Id. Sat. II, 3, 23.

deterrere, ne scribat. Ita Cicero de or. II, 1. „quo facilius nos — a doctrina *deterreret.*" Adversarius ex invidia impediturus est, quo minus Terentius scribat meliora.

V. 6. *Quia nusquam insanum* etc. Recte. Nam horrenda, quae praeter naturam sunt, non amat comoedia, imaginem vitae exprimens quotidianae.

V. 7. *Cervam videre fugere, et sectari canes.* Cui non in mentem venit Actaeonis in cervum a Diana ulciscente conversi, quem sui canes agitatum persequerentur. Ovid. Metam. III, 206. etc. Haec autem fabulosa, quae fidem humanam excedunt, absurdum erat, immiscuisse vel intexuisse comoediis. Id quod fecerat malus poeta, non Terentius.

V. 9. *Quodsi intellig.* sc. *poeta vetus*, ut v. 1. qui est Luscius. Luscius autem poeta postponitur Terentio, A. Gell. N. A. XV, 24.

stetit. Propert. III, 16, 18. „*stantia* — in plausum theatra." Horat. Epp. II, 1, 176. „Securus cadat, an recto *stet* fabula talo." Nam *stare* comicis dicitur, quod placere; e contrario cadere pro excidere.

V. 10. *Actoris*, cf. Heaut. Prolog. v. 13. *Actor* est, qui rem gerit et exsequitur, seu in foro, seu in theatro, aut in alio quodam negotio. H. l. est fabularum *actor* ὑποκριτής. Hor. A. P. v. 193.

V. 11. *audacter.* Muretus praefert *audaciter*, quod, ex Prisciani monitu, Ciceronem ac Sallustium etymologice observasse. Hoc vero non impedit, quo minus Noster, ut alias multas, ita hanc quoque vocem contraxerit.

V. 13. *si — non lacessisset prior.* Novimus Horatium, qui per satiram hoc fere idem dicit, II, 1, 42 — 46.

V. 14. *novus.* Se ipse nominat *novum* Terentius, ut *veteri* se opponat poetae, post quem ipse fecerit comoedias. Et quia quod *vetus* est, in honore habebatur a Romanis, non deficit laus, quamvis ironice *veteri* illi poetae attributa.

V. 17. *qui artem tractant musicam.* Metri est poetica ars vel comica. Aristophan. Nub. 639. *Περὶ τῶν μέτρων* etc. et versu priori, *Πότερα περὶ μέτρων, ἢ περὶ ἐπῶν, ἢ ῥυθμῶν.* Verum de metris, aut de versibus, aut vero de rhythmis? Scilicet apud Aristophan. rudi sille homo ridicule somniat, quod ipse rusticorum noverit, idem esse metrum poetarum. Sed nil attinet. In utroque inest ratio numerorum. Indeque patet, poetam in metiendis versibus maxime occupari, si quidem, uti scholia ad Aristophan. monent, *ποιητὴς κωμικὸς* est idem *μουσικός.* Quando vero metrum tenemus, non praetereundum est, quod Vitruvius ait: „uti medicis et *musicis*, et de venarum sphygmo et de pedum motu." Id est, ut medici de venarum pulsu, ita musici de pedum motu meditantur. Ut plenius intelligamur, remittimus lectorem ad Eun. III, 2, 24. et Heaut. Prolog. v. 23. quae ibi hac de re exposuimus satis copiose.

V. 18. *reicere.* Quae jam diximus, repetere non animus est; addimus duntaxat, quod ad eandem vocem in Cic. offic. I, 30. Heusingerus notavit, *reici*, Ciceronis aequalibus dissyllabum fuisse; errare ita eos, qui verb. *reicit*, in tribrachyn resolvant. Quare malumus cum Bentlejo *reicere* scribi, quam cum aliis *rejicere.*

V. 25. *Epidicazomenon.* Quamvis ad hanc dictionem multa notavimus, tamen non poenitet addidisse ex Diodor. Sic. lib. 12. cap. 18. ubi lex est descripta Solonis haec: *νόμος, ὁ περὶ τῶν ἐπικλήρων — παρὰ Σόλωνι κείμενος. Ἐκέλευε γὰρ τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικάζεσθαι τὸν ἔγγιστα γένους* etc. Haec vero lex, quae causam Phormionis attingat, plenior adferatur Latine: tertia lex de orphanis, sic emendata, ut pro solutione quingentarum drachmarum, quas proximus cognatus, si ducere orbam nollet, loco dotis erogare debebat, illi necessitas, pupillam ex lege in matrimonium ducendi, imponeretur." Neque vero negamus, in hac lege caput rei esse Phormionis, quam Terentius, virgine libera cive inventa, ad finem arte sua peregit.

V. 32. *Cum per tumultum* etc. Nec *tumultu*, nec strepitu carebat theatrum; vid. Plaut. Mil. gl. II, 1. Alluditur tacite ad Hecyram exactam.

ACTUS I. SCENA I.

V. 1. *Amicus summus meus* etc. Quae verba membrum esse ex integro carmine et hemistichio conflatum, id acute sentit Bircovius. Inter exempla elocutionum Frontonis est: „amicus illius," ex Terentiano citato: *amicus summus mei.* Ergo *mei* pro *meus* Frontonem legisse apparet. Sed A. Majus opinatur, illum paulo liberius locos auctorum citasse.

V. 4. *id ut conficerem.* Res erat ea, ut, si cum Tacito An. VI, 16. loquamur, rationes inter se componerent familiares.

V. 8. *ut semp. aliquid addant.* Servos dominis dona dare, absurdum, sed ita mos erat.

V. 9. *de demenso suo*, sc. cibo. Sic supplet Sanct. Minerv. IV, 4. *Demensum* dicitur et *dimensum*, graece σιτομέτριον. Brodaeus Miscell. lib. 2, c. 14. annotat, quaternos olim frumenti modios singulis mensibus servos a dominis accipere solitos, idque dimensum appellatum esse, a dimetiendo, non a mense.

V. 10. *defrudans*, al. *defraudans.* Acquiescimus in priori. Nam *defrudo, non defraudo* veteres dixisse, inter alios, Nonius Marcellus affirmat. Idem definit esse *defrudare,* fructum minuere, per fraudem aliquid eximere.

suum defrud. genium. Pers. Sat. II, 3. „Funde merum *Genio.*" Ad hoc Lubinus: „*Genio* tuo vino et thure sacrifica." Erat autem viris deus natalis Genius, mulieribus dea natalis Juno. Hinc patefit, qui *suum defrudet genium*, nimium parcere, aut de victu suo detrahere sibimetipsi. In hac scena Davus ostenditur ex peculio suo tantum confecisse, quod satis esset, unde solveret, quod restaret, suo populari. Praeluditur tale quid de nugis quisquiliisve servulorum non injucunde.

V. 13. *Ferietur alio munere. Ferietur.* Crasse dictum ac duriter, nec indignum ore servitii. Similit. Heaut. II, 3, 1. *caedere* sermones. Dicit *alio,* quasi *aliud* sit praeter solita munera. Maxime vero alia dabantur, quae Graecis *γενέθλια* denominata sunt. Praeterea quinto die a partu, qui *ἀμφιδρόμιος* dicebatur, puerperis et obstetricibus munuscula mitti solebant, quae Plautus *κειμήλια* vocat in Truculento. Ubi quidem II, 4, 71. in contextu, „munusculum," legimus, sed in notis Taubmanni, *munus cimelium,* pro Palmerii lectione. Insuper notatur ibidem, hoc *munus cimelium* esse, quod reponatur extra quotidianum usum. De voce muneris Corn. Fronto dicit: Munus et donum. „*Mu-*

nus quod amicus, vel cliens, vel libertus officii causa mittunt — donum, quod diis datur." Denique memoramus, Terentium palliatae fabulae haud immemorem, hunc Graecorum morem non praeteriisse.

V. 14. *ubi erit p. natal. dies.* Vid. Censorin. de munere natali; quod annali *die* solvebatur. Add. Casaubon. commentar. ad Pers. Sat. II, 3. Sacra quoque natali die facta esse, negat Casaubonus contra quosdam eruditos. At nos reticemus, quorum apud poetam nostrum nulla fit mentio.

V. 15. *Ubi initiabunt.* Multum disseruit in hac re Heineccius, v. Antiquitt. rom. II, 7, 7. Ibidem non pauca hic, illustrandi causa, more suo congessit, nec praeterit hunc locum. Praeter alia dicit: „Fiebat haec lustratio, vel uti Terentius Phorm. I, 1. vocat, initiatio, impositioque nominum variis adhibitis solemnitatibus." Heineccius autem praecipuam huius *diei natalis* solemnitatem in nominibus dandis ponere videtur. Sed hoc non unum erat. Plura tamen qui cupit, ei non dubitamus commendare, quae in nostra Terentii editione ad hunc locum exposuimus. Id tantum hic addimus, quam fabulam, etsi ab aetate Terentii longe alienam, de *initiandis* tirunculis attulit Minuc. Felix, lib. qui Octavius inscribitur, IX, 6. Ipse fabulam appellat, quam descriptam praetermittimus.

ACTUS I. SCENA II.

Jucundum est in hac scena, quod Poeta servos, de argumento rei confabulantes inter se, fabulae agendae quasi praemisit.

V. 1. *rufus.* Adferendus est Quinctilianus, Inst. or. 1, 7. qui de nominibus disserit, quae ex habitu corporis, ut *rufos* longosque fecerunt. Hoc nomine *rufi* audito, Davus se non delectari ostendit Getae, *desine* acclamando, ita ut illum plura dicturum cohibeat. In *Rufi* nomen luditur, ap. Auson. epigrr. 45. 46. etc. ut suspicemur, *rufos* olim satis contemtui fuisse ac ludibrio. Terent. Heaut. V, 5, 17. Hec. III, 4, 26.

V. 7. *egone? nescis* etc. Sermoni proferendo vultus est oris accommodandus ab actore.

V. 8. *Quanto in per. simus.* Tuemur lection. *simus* prae *sumus* et *sim* aliorum. Recte *simus*, quo opus est posito, ob *nescis* praecedens, modo conjunctivo; deinde placet plural. num. *simus*, quia notum est, non ex Terentii solum,

sed et Plauti dramatibus, servos solere causam herilem intueri, ut suam.

V. 16. *in Lemnum.* Homer. Il. I, 593. ἐν Λήμνῳ. Ad hoc scholiast.: ἡ δὲ Λῆμνος νῆσός ἐστι Θρᾴκης, ἔχουσα δύο πόλεις, Ἡφαιστιάδα καὶ Μύριναν.

V. 18. *modo — pollicens.* Nihil deest, uti visum est Prisciano. Iterandum enim puto *per epistolas* ad *pollicens.*

Pellexit. Quod Plautinum verbum Terentius hoc loco adhibuit, ob verecundiam nullo amplius. Vet. interpres explicat, „suasit." Non longe abest notio pellicis.

V. 19. *Cui tanta erat res, et* etc. Vide quam scite senis avaritia tangatur, quae mox v. 70. 71. magis exseritur. *res* sc. familiaris, cf. Adelph. V, 1, 9. *supererat.* „Plus est *superesse*, quam esse," uti explicat Donatus. *desinas*, cf. supra v. 1.

V. 20. *reg. me esse oportuit.* Pro *oportuit* barbare diceres, oportuisset. De hoc satis grammatici nostrates. Latine indicativo modo utimur.

V. 21. 22. — *me filiis Relinquunt quasi magistrum.* Heusinger. ad Cic. de Offic. I, 13. „Multi — locupletiorum hominum servi a liberis quoque hominibus colebantur, et rebus haud contemnendis, quin et herilibus liberis praeficiebantur." Dicit, *quasi magistrum.* Magister Geta non erat, qui pueros erudiret, ad summum paedagogus, qui domi eos tueretur, ac foris ambulantes comitaretur.

V. 24. — *relinqui me deo irato meo.* Credebant enim veteres, *deo* vel genio suo comite hominem quemque in vita regi et gubernari; quo quidem irato desertum hominem esse, miserum ac deplorandum.

V. 29. *scisti uti foro.* Exponit vetus interpres codicis Halens. „bene scis rem tuam providere." Ruhnkenius ita: „*uti foro*, h. e. utcunque se fortuna obtulerit, ita rationes suas comparare, vel, ut Cicero loquitur, tempori servire" etc. Translatum a mercatoribus, qui, ut Donatus docet, merces suas non quanti volunt, sed quod pretium nunc *fori est*, vendunt. Non ita commode poterit adhiberi Cic. de orat. III, 23. „Velocius — plus operae *foro* tribuebat, amicis, rei familiari."

V. 32. *Citharistriam.* Modus *cithara* utendi videtur esse pulsatio. Sic Valer. Flacc Argon. V, 694. „*citharae* pulsator Apollo." *Citharae* Atticos sedulo studuisse, discitur ex schol. ad Aristoph. Nub. v. 961. *perdite*, Charisio monente, pro valde. Sic et deperire amore alicuius, aut deperire aliquam dicunt vel aliquem, ut Terentius ipse, Heaut. III, 2, 14.

V. 38. *ex adversum.* De hac voce vid. Fischer. ad Nepot. in Themistocl. 3. Inter alios scriptores, qui illa usi sunt, Plautum adfert et Terentium, in Bacchid. IV, 7, 37. et praeter hunc locum, in Adelph. IV, 2, 48.

V. 39. *Tonstrina erat* etc. Proprie circa usum, Diogen. Laert. VI, 2, 6. „*Καὶ ἐν κουρείῳ, φησὶ, κείρομαι.* Et *tonstrina* tondeor, inquit.“ Qui antiquitus barbam tonderi sibi vellet, ibat in tonstrinae officinam aliquam, sicut qui lavaretur, in balneum. Etiam alia colendi corporis causa fiebant in tonstrinarum officinis. Vid. Plin. H. N. 36, 22.

V. 44. *Paupertas m. onus visa est.* Recte *visa*, non *visum*, ut alii legunt. Nam *Paupertas* hoc nomen est, cui adaequanda erat forma praedicati, non voci *onus*. Et subjecto, quod dicitur grammaticis, conformari debet, si verbum aliquod vel participium, praedicati loco, adjiciatur. De hac labante syntaxi, in qua inprimis librarii olim errasse videntur, vid. infra V, 3, 9. Recte dicet aliquis: haec res visa est miraculum; contra: haec res visum est miraculum, non ita.

V. 48. *neque cognatus.* G. Fabricius adnotat, pro *cognatus* in libro antiquo legi *vicinus.*

V. 56 — 58. *Capillus passus — haec form. extingerent.* Non *extinguerent*, sed ipsum adderent decorem per negligentiam. Sic certe esse C. Fronto opinabatur, cum scriberet, vel serio vel jocose, de laudibus negligentiae, vol. II, p. 511. Videlicet, ut quaeque mulier magis facie freta est, ita facilius — capillum negligere.

scin' quam? Ellipsis, amabat? Sic in interrogatione rhetorica.

V. 61. *quo evadat? vide.* Fortuito eventu quid fiat, nemo scit. Corn. Nep. Dion. 8. „quum — quorsum *evaderent*, timeret.“ Add. quod Fischer disputat, Terentii locis adlatis, Andr. I, 1, 100. I, 2, 4. nostroque et Phorm. IV, 3, 20.

V. 67. *lege.* De filiarum nuptiis testamento pater disponebat: „si is non fecisset, *lex;*“ v. Sluiter. lectt. Andocid. Nisi forte *lex* annuitur esse ea, quae infra v. 75. adscripta est.

V. 72. *est parasit. quid. Phormio.* Qualis iste, percipimus ex Cic. or. p. Caecina, c. 10. Comparatur enim cum hoc Sext. Clodius his verbis: „cui nomen est *Phormio*, nec minus niger, nec minus *confidens*, quam ille Terentianus est Phormio“ etc. Ab hoc Phormione, quod etiam monendum est, fit initium turbarum.

V. 73. *Homo confidens, qui* —. Ira praepedit dicentem, ne inita verba continuet. Datur autem, v. 74, quo illa connectantur ità: *qui — hoc consilium dedit.*

V. 75. *Lex est.* Haec lex cum eventu fabulae coincidit in uno hoc, *orbam* illam, cognatam Antiphoni, filiam patrui esse inventam. Praeter hanc, alia lex erat, qua qui recusaret cognatam ducere, poenam lueret mille drachmarum.

V. 77. *scrib. dicam.* cf. infra II, 2, 15. *Dica*, γραφὴ, est actio, quae alicui intenditur. Sic Cic. in Verr. II, 15. *scribitur* Heraclio *dica.* *Δίκη* autem sive Themis dea est, justissima vindex recte et prave factorum. Hesiod. *Ἐργ.* v. 220. Et Laur. Vall. in Ant. Raud. ed. 1577. p. 709. *Dica* vero actio, e Graeco sumtum, ut Terentius in Phormione: „*Scribam tibi dicam*, et Cicero in Verrem actione quarta: *scribitur* Heraclio *dica.*" Add. Euripid. Alcest. v. 735. *δίκας — δώσεις.* Nam est, *δίκην διδόναι*, poenas dare, Xenoph. Dica non multum differt a *γραφῇ* Graecorum. Haec est enim accusatio, illa de causa dicitur et publica et privata. Quod vero *scribere dicam* Latinis est, accusare videlicet, idem Graeci notabunt, per *γραφὴν γράφεσθαι.*

V. 82. *vincam scilicet.* *Vincere*, juridicum verbum, quod est, probasse et obtinuisse, quod lite quis intenderet. Sic et Graecis *νικᾶν.* Aristophan. Nub. v. 1448. *σὲ νικήσω λέγων*, evincam te dicendo.

V. 84. *jocul. aud.* Non abnuimus Bentlejo asserenti, *τὸ joculare* de rebus potius dici solere, quam de personis.

V. 88. *placet.* Bentlej. ex arbitrio: „*places* melius quam *placet.*" Nil notat.

V. 91. 92. *nunc amitte* etc. *ceterum posthac.* In hunc modum Davus, in Andr. III, 5, 5. utrobique urgendum, *nunc — posthac.*

V. 94. *paedagogus.* Videatur Fischeri Index verbb. ad Aeschini Dialog. „*Παιδαγωγοὶ*, Paedagogi — erant servi, qui pueros ingenuos ducebant in ludos, et inde domum reducebant, omninoque vitam eorum atque mores regebant et moderabantur, ita, ut pueri ne digitum quidem longe ab iis efferre possent pedem aedibus. Unde dicti sunt custodes." His autem consentit, quod infra est Phorm. Terentii, II, 1, 57. Quem locum, uti nostrum, et in Andr. I, 1, 27. Fischerus doctissime una cum multitudine aliorum notatum commemoravit. Add. Sueton. de illustr. gramm. 23. „Remmius Palaemon, Vicentinus, mulieris verna, primo, ut ferunt, textrinam, deinde herilem filium dum comitatur in

scholas, literas didicit: postea manumissus, docuit Romae" etc. Huic veteri testimonio confidendum adeo est, ut inde discatur, quod munus quodve officium injunctum fuerit servo, qui paedagogus esset, Romanorum aut Graecorum. *Paedagogum* et magistrum ne confundas; vid. supra v. 21. 22. *Paedagogum* timeri a juvene, videre est apud Plaut. Bacch.

V. 95. 96. *non multum habet, Quod det* etc. Nec aliter Plaut. Trucul. II, 1, 23. „Dum *habeat*, tum amet. ubi *nihil habeat*, alium quaestum coepiat." Qui amicarum consuetudinem cupiebant, habere necesse erat, unde darent.

V. 100. *ad portitores.* Qui fuerint *portitores* apud Romanos, satis cognoscitur ex Cic. de Offic. lib. I, c. 42. Sed hic *portitores* ii homines sunt intelligendi, qui praeter alias res, epistolas quoque peregre adlatas accipiant, acceptas in manus tradant, quibus illae tradendae. Et Geta loquitur de portitoribus, quorum stationes erant in portu Athenarum. Add. Plaut. Stich. II, 3, 42. „Dum percontor *portitores*, ecquae navis venerit ex Asia."

V. 101. *ut bene sit tibi.* Pers. Sat. IV, 372. „hoc *bene sit.*" Explic. Lubin. „quod mihi etc. dii *bene* vertant." Locutio latina: *bene*, male esse alicui, obvia ubivis. Adelph. I, 1, 9.

ACTUS I. SCENA III.

V. 1. 2. *ut qui* etc. Ne mireris, *ut* bis positum. Quando Ciceroni, Livio aliisque non aegre condonetur, bis particulam aliquam orationis periodo in una posuisse interdum, quanto magis ita feramus Nostrum in quotidiano sermone?

V. 14. *depecisci morte.* Ex auctoritate Prisciani, praeferimus *depecisci* lectioni *depacisci.* Dicit enim ille, lib. 8. hoc verbum compositum iis adnumerari, qui lit. a mutent in e. *depecisci morte.* Haud fere alia syntaxis eodemque sensu, Virgil. A. XII, 49. „letumque — pro laude *pacisci.*" Super hoc vid. Wunderlich. H. l. periculum *mortis* ipsius est subiturus pro adipiscendo bono sperato.

V. 20. *nostri.* L. Valla miratur, cur Terentius dixerit, Poenitet *nostri*, non nostrum. Non intellexit, intelligi, hominem poenitet sui h. e. hominis, sui ipsius.

V. 21. *At tu mihi contra.* Discernendum est *at* et *contra.* *At* bene infert, ut contradicat ei, qui sibi modo felicissima gratulatur. *contra* significat, e contraria parte.

mihi videris fortunatus, cf. Heaut. II, 4, 1.

V. 24. *ejus amittendi* pro *ejus* amittendae. Notandum est. gerundia in di desinentia genitivis conjungi utriusque generis et numeri; vid. Sanct. Min. III, 8. ubi Perizonius. Etiam Bentlejus in Phorm. V, 6, 40. legendum praecipit *habendi*, quemadmodum est Hec. III, 3, 12. *ejus videndi* pro *ejus* videndae.

ACTUS I. SCENA IV.

V. 1. Melius procedit hic versus, si incipitur, *Nullu's*, quam *Nullus es*.

V. 10. *Antipho me excruciat animi.* Donatus explicat: „propter Antiphonem me excrucio." In uno codd. Guelferbytanorum inveni *animo*. Sed *animi*, quod Graecorum more est, etiam Plautus habet, Mil. gl. v. 1053. „Quid illam miseram *animi excrucias*." Exempla huiusmodi sunt, „pendeo animi, discrucior animi" etc. quae Sanctius attulit e scriptoribus deprompta, in Minerv. seu de causis linguae latinae commentar. lib. II. c. 3.

V. 11. *absq. eo esset.* Hanc mihi videor syntaxin Terentii offendere, quae est, Adelph. III, 5, 4. *si est, ut sit.* H. l. *absque eo esset*, (ut) *vidissem.* Modo, ut, addatur. Similit. infra II, 1, 40.

V. 13. *Aliquid convasissem.* Donatus: „Figuratum est a colligendis vasis." Sumsisse hoc videtur Donatus ex Plaut. Pseud. IV, 3, 16. „colligatis vasis."

V. 17. *plurimum.* Hoc adverbium pro saepe, frequenter. Graeci, πλεῖστον et ἐπὶ πλεῖστον.

V. 19. *Sat. pro imperio.* Taedet imperiose vocantis; cf. Andr. II, 2, 7. Add. Adelph. II, 1, 21. Phorm. II, 3, 58.

Cedo, quid portas? Mire affectum ostendit de timore properantis. *Cedo*, pro Dic, interrogantis. Eun. V, 4, 28. *quid factum est? cedo.*

verbo sc. uno. Quod *uno* mss. quidam habent in contextu. Sed absque hac dictione numerus orationis suavior nobis conciliatur, et firmior stat versus octonarius.

V. 25. *fortes fortuna adjuvat.* Proverbium id esse Cicero ostendit, Tusc. II, 4. Et quem fugit, auribus accipi paronomasiam, *fortes* s. *fortis fortuna?* Ne omittamus Menandrum apud Stobaeum sic effatum: „Τόλμῃ δικαίᾳ καὶ θεὸς συλλαμβάνει. Audaciam justam vel adjuvat deus."

V. 34. *istuc serva.* Fidelius Antiphone servat Pamphilus, in Andr. II, 3. instructionem servi.

V. 35. *saevidicis.* Compositio comica, qualis Plaut. Trin. II, 1, fin. Huiusmodi aliae sunt Plautinae, „blandidicus, magnidicus, veridicus.“

V. 45. *Auf. mi oport.* Priscian. lib. 18. „Latini (dicunt) *aufero* tibi, et, a te,“ Terentiano hoc spectato.

V. 51. *ego in subsid. hic ero.* Al. leg. *in insidiis.* In impressis libris hunc locum citari nonnulli testantur, quasi sit Eunuchi. Ac vere simile verbum est Thrasonis, in Eunucho, IV, 7, 11. *hic ego ero post principia*, hominis timidissimi ac vane gloriantis. Hic vero, *in subsidiis*, magis placet, quod Geta non ridicule dicit, sed ita, ut Phaedriae, si qua opus sit, auxilietur.

Non hanc scenam, ita ut in compluribus fit editionibus Terentii, sed sequentem ultimam primi actus esse debere, id Heinsius primus vidit. Nam vix ullum est spatium vel loci vel temporis interjectum. Non interea vacuum fit theatrum. Et in tempore adeo instat Demea, ut perridiculum esset, si idem adveniens clauso theatro praecideretur. Etsi hoc rectius Heinsium vidisse fatemur, tamen Bentleji adhuc secuti sumus editionem.

ACTUS II. SCENA I.

V. 1. *tandem.* Festus ad h. l. „*Tandem* quom significat aliquando, interdum tamen ex supervacuo ponitur.“ Sed nos magis assentimur illis, qui existimant, *tandem* homini inservire irascenti. Irasci autem Demiphonem patrem, quis non videt? Ita Cicero orat. I. in Catilin. incipit: „Quousque *tandem* abutere, Catilina, patientia nostra?“

V. 11. *cum maxime —, tum maxime.* Ad Liv. 40, 13. Drakenb. explicat, *cum maxime* notare hoc maxime tempore, *tum maxime*, eo maxime tempore. Quid sibi voluerit Drakenb. cum hac explicatione, non intelligimus. Hinc tamen sequitur, per pleonasmum dictum ferri posse, *nunc cum maxime*, in Andr. V, 1, 4. Sensus, Quo tempore res secundae sint, eo ipso homines cogitare oportet, ex illis brevi fieri posse adversas. Junctas habet illas particulas, Liv. 33, 9. 40, 32. et alibi.

V. 12. *Meditari secum.* *Meditari* est, secum attentius cogitare vel reputare, et ad quamcunque rei considerandae partem vertere animum. Quis non et in his intelligit Terentium sui similem? Nam haec Demiphonis fere eadem est meditatio curarum, quae Micionis in Adelph. I, 1.

V. 51. 52. *functus est Officium.* Promiscue veteres dixisse videntur, *officium* et officio *fungi*; etsi tirones adsue-

V. 17. *quantum herum anteeo sapientia.* Pari dictione Plautus utitur, Bacch. V, 1. ex more suo latius diffusiusque. Comicum fit, *anteeo*, in indicativo modo, quasi dicat servus vere. Sic illa servi, in Adelph. III, 3, 73. *quae possum pro mea sapientia.* Jungimus, *quantum anteeo.* Sed nihil impedit, quo minus derisorille pronuntiet, *quantum herum!*

V. 18. *Meditata mihi sunt omnia* etc. Passiva significatione *meditari.* Etiam hic est Terentius non sine Plauti exemplo, Pseud. IV, 1, 31. „*meditati sunt* doli." Priscianus de significationibus vel generibus verborum, deponentia non pauca adnumerat passivae significationis, tangit etiam hoc *Meditata* Terentii. Ut ipsum audiamus: „Terent. in Phorm. *Meditata mihi sunt omnia mea incommoda*, μεμελετημένα, *meditata* passive dixit." Prisciani libro 8. de verbo. Ceterum Getam orationem domini videmus ad verbum usque imitari; quod idem servus facit in Adelph. III, 3, 40. 73.

V. 19. *habendum compedes.* Ne quis abhorreat hac dicendi forma, non ita inconsueta. Non repetere libet, quae diximus jam pridem, addimus tantum Nemesiani, Cyneget. v. 124. „Pascendum catulos." Quod nempe usitatius Nemesianus dixisset, pascendi catuli, sicut illud Terentius, *habendae* mihi sunt *compedes.* Vid. ad Andr. I, 5, 19.

V. 20. *nihil quicq. — novum.* Itid. Euripid. Hecab. v. 666. οὐ καινὸν εἶπας. Est *novum* id quod inopinatum, non exspectatum.

V. 29. *Eho, an id succenses* etc. In lib. antiquo est *tu*, ante *id.* At sunt, qui putent, *tu* officere metro, ideoque esse ejiciendum. Non officiet, opinamur. Nam *tu* elidi potest, ut nihil nisi, t, litera pronuntietur.

V. 36. *Hic in noxa est.* Huiusmodi, ut *in noxa est*, locutiones Livii, Ciceronis, ceterorum habemus, in spe, in periculo, in honore esse. Ne repetamus, quae attulimus ad Andr. II, 2, 2.

V. 37. *Cum ille est*, sc. in noxa. Bene sonat auribus multiplicatum, *est.*

V. 43. *Sed si quis forte* etc. Παρασκευὴ seu praeparatio est ad Phormionem calumniantem.

V. 46. 47. *adimunt diviti — addunt pauperi.* Hoc fere modo Horat. Od. II, 5, 14. 15. „et illi, quos tibi demserit, Apponet annos." Ceterum operae pretium est animadvertisse, quam belle antitheta ponantur in re et verbo, duobus his versibus comprehensa. Huiusmodi vid. supra v. 36. 37. Qua quidem arte etiam Horat. carm. IV, 7. quatuor anni tempora, tot item lineis designantur.

factos magistri volunt posteriori, quod usitatius est. Inter alios Tacitus etiam quarto casu utitur, *functus*, dicens, *officium*, An. IV, 38.

V. 67. *Dot. daretis* pro d. dare debuistis.

V. 68. *Qua ratione* etc. Non mire senex *rationem* poscit, quam ignorat. Nam Antipho captus amore, ut ducat, adjuvatur consilio Phormionis, supra 1, 2, 77. Quid sit, cum ratione agere etc. de hoc Cicero quidem, ipso Terentio firmatus, disputat, de N. D. III, 28. Demea nescit, id quod comicum est, inopiam ductae sumtu suo per artem Phormionis expletum iri. Igitur bona fide, nil doli suspicans: *Qua ratione inopem* etc. quaerit a servo.

V. 74. *Egone — ut patiar* etc. Conjunctio, *ut*, eleganter additur, quemadmodum Liv. IV, 2. Illinc *ut* impune — concitent bella? Sic Terent. Andr. I, 5, 28.

V. 81. *Deos Penates — salutatum* etc. „Qui deos adorabant, *salutare* illos dicebantur." Gruner. Antiqq. rom.

V. 83. *Amicos advocabo* etc. Non deerant, qui, ut cum Cicerone loquamur, de orat. II, 24. in foro volitabant, et a causa ad causam ire videbantur. *Amici* sunt, qui *advocantur*, ut, si quis eorum indigeat ope, adsint in judicio.

adsint. Omnino potentiores qui sunt, *adesse* dicuntur. Valer. Flacc. IV, 652. „et deus *adfuit* ausis."

Hac scena theatrum vacuum fit personis. Nam Demipho redit ad Penates. Geta abit, Phormionem quaesitum, Phaedria, conventum amicam. Igitur juste primus actus hac scena finitur, secundus incipitur ab sequente.

ACTUS II. SCENA II.

V. 1. *Itane patris* etc. Cum admiratione et indignatione. Itid. Cic. ad Fam. XII, 30. „*Itane*, praeter litigatores, nemo ad te meas literas? multae istae quidem."

V. 3. *Oppido*, cf. infra V, 8, 12. Affirmat aeque ac admodum.

summa rerum, proprie dicitur imperatorum in bello, aut in pace eorum, qui rempublicam administrant. Liv. 20, 3. Jul. Caes. b. g. III, 5.

V. 5. *eccere*. Incerta est interpretatio. Charisio grammatico *eccere* videtur adverbium demonstrandi, Festo jurandi per Cererem. Muretus corruptum putat pro eo, quod fit, per aedem Cereris. Id quod crederes ita. Nam item habemus, aedepol, per aedem Apollinis.

V. 7. *Cedo senem: jam instructa* etc. Hunc versum Cicero citat disputationi suae intermistum, de N. D. III, 29. ubi vide.

V. 9. *in me iram derivem.* Citra tropicam orationem, *derivare* dicunt aquam de fontibus in agros vel prata patentia.

V. 15. *en, unquam injuriarum aud. mihi scriptam dicam*, cf. supra I, 2, 77. *Injuriarum dicam scribere*, est quod Graecis, ποιεῖν γραφὴν κακώσεως. Sumtum videtur ex Menandri Misogyno: „ὄμνυμί σοι τὸν ἥλιον· ἦ μὴν ποιήσειν σοὶ γραφὴν κακώσεως. Juro solem tibi, *injuriarum* me tibi *scripturum dicam.*" Super hoc vide Priscianum libro XVIII. quem alias de innumeris locis Terentii legimus copiosissimum doctrinae.

en unquam. Hae partic. conjunctae in initio interrogationis; sic Liv. 30, 21. „*En unquam* ille dies futurus esset, quo vacuam hostib. Italiam — visuri essent?"

V. 18. *in illis, in istis.* Schulzius legit *in illis*, in *illis*; unde illa ejus explicatio, gr. lat. §. 95.

V. 21. *Alere nolunt hom. edacem.* Plaut. Most. IV, 2, 6—8. „impure parasite — cibo perduci poteris quo vis." Cicero in Philipp. II, 6. memorat etiam parasitorum nomina, Phormionis atque Gnathonis; ubi Manutius adnotat: „Parasitorum nomina apud Terentium: quorum simillimis hominibus natalicia dabat Antonius."

mea sententia. Ellips. de vel ex. Lamb. Bos VI.

V. 25. *unctum atque lautum.* Invertit ordinem. Rectius Homer. Odyss. 23, 153. 154. — Ὀδυσσῆα — λοῦσεν, καὶ χρῖσεν ἐλαίῳ. Ibid. 19, 320. Prius lavatum, dein unctum. Parasito hoc elabi poterat, non poetae.

V. 28. *coena dubia.* Vox parasitica esse videtur. Recte *dubia*, quia parasitus dubitat, quid cupiat, sumat, degustet appositorum potissimum.

V. 29. *ubi tu dubites, quid sumas potissimum.* Hac dicendi ratione Cicero utitur p. Coel. 16. „sed *dubito*, quem patrem *potissimum sumam.*" *Dubitas*, ut inter duas tantum res, ubi diceres, potius; at inter plura, potissimum. Andr. II, 6, 23.

ACTUS II. SCENA III.

V. 1. *En unquam*, cf. supra 2, 15. *En* particula servit indignationi, ut docet Donatus. Add. Casaubon. ad Pers. Sat. III.

V. 3. *st.* Nota silentii. Dea silentii vid. ap. Montefalcon. imagine depicta, digito supremo labia contingens, quae ab Romanis Angeronae vel Angeroniae nomine colebatur.

V. 8. 9. *patrem*, et *Stilphonem — qui fuerit.* Constructio verborum Nostro consueta, qualis Eun. III, 5, 62. 63. et sic alibi. En vero, qui versus ubique sibi invicem respondeant!

V. 12. *insimulabis*. *Insimulatio* est et falsi et veri criminis incusatio. Quam vim nominis esse Donatus notavit, hanc fere verbi quoque haud dubie sumere licet.

male audies. Quid sit, *male audire*, nemo non noverit quidem peritus, sed juvabit, comperisse idem a Laur. Valla, probatissimo veterum grammaticorum. *Male audio*, inquit, id est, infamor, crimina mea audiens, cuius contrarium est maledico; vid. lib. VIII, c. 87. Add. Nep. in Alcibiad. II, 11. „Hunc infamatum a plerisque" etc. Qui vero infamatus est, male audit. Itid. Graec. *ἀκούειν κακῶς*.

V. 16. *ruri*, non ruris, ut vulgo dicunt. Inde Festus: „*Ruri esse*, non rure dicendum, testis est Terentius, in Phorm. cum ait, *ruri se continebat*." Exemplo igitur Terentii utitur Festus ad probandum, quomodo dicendum sit. Atque nobis non fortuita excidit notatio, mirum esse, quanta fuerit apud veteres in latino sermone Nostri auctoritas.

V. 29. 30. *contumelias — dicere*. Adjectum verbum, *dicere*, admonet, *contumelias* verborum, non rerum intelligi; sicut Seneca, de ira III, 10. „Alium," inquit, „verborum, alium rerum *contumeliae* movent." A. Popma, de different. verbb. lib. I. „*Contumelia*," inquit, „est gravior quam injuria. Nam *contumelia* dignitatem alterius atterit et minuit; injuria laedit famam." Cf. infra v. 60.

V. 37. *Eho, tu sobrinum* etc. Si Cicero recte hic Terentium citavit, legendum erit *cognatum*, non *sobrinum*. Simul isdem notavit, Nostrum unum idemque verbum *noras* contraxisse, et non contraxisse, v. 43, non suo quidem, sed more veterum aliorum. Locum ipsum Ciceronis, ubi hoc agatur, vid. in orat. c. 47.

V. 40. *subjice* sc. nomen. Aliter in Andria Pamphilus, qui non rogatus, sed ultro suggerit nomen, V, 4, 42.

V. 41. *quasi non noris*, cf. supra v. 35. Contra Simo in Andria agnoscit denominatum, *noram* dicendo, Andr. V, 4, 31. *tentatum advenis*, cf. supra v. 13. *accusatum advenit*, quod Demipho vicissim de Phormione querebatur.

V. 42. *Stilpho*. Cum nomine detecto clarior fit res obscura, quam primo parasitus ille non ignorabat, immo instituerat intricatam.

V. 51. *en nost. recte*, cf. Eun. I, 2, 74. *en nost. laudo*. Infra III, 1, 4. Qui blandiebantur domino, *noster* dicebant, qua nulla erat allocutio dominis acceptior. Tanta vis est pronominum Latine!

V. 58. 59. *solus regnas, et soli licet* etc. Quasi tu solus sis lege exemtus, qua cautum est, ne qua de causa judicium bis reddatur. In libera autem civitate, quae erat Atheniensium, omnes aequo jure judicantur, ne uno quidem excepto.

de ead. causa bis judic. adip. Hoc explicitius in Demosthen. or. in Leptin. §. 126. ita: *Οἱ νόμοι δὲ οὐκ ἐῶσι δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν περὶ τῶν αὐτῶν οὔτε δίκας, οὔτε διαδικασίαν εἶναι.* Ad haec consulatur Wolfii commentarius.

Etiam Romani hac, ni fallor, Solonis lege utebantur; uti quidem exstat apud Ciceronem, in Verr. II, 2, 28. „rem judicatam non rescindere." Videlicet Terentianus Phormio rem judicatam putat, quam rescindere vult Demipho.

judicium adipisci h. e. vincere in judicio; nam *adipisci* per se est, accipere vel nancisci boni aliquid.

V. 60. *facta injuria*, sc. obtrusae nurus patri nescio atque invito. Contra ap. Liv. 3, 44. *injuria* Virginio infertur filiae ademtae. Hic ademtae virginis, illic obtrusae injuria.

V. 61. *quam lites secter.* Abhorret *litibus*, quemadmodum Crito in Andria IV, 5, 16.

ut cognata si sit. Posito, cognatam eam esse, quod tu, Phormio, aut vere aut falso contendis.

V. 63. *Dot. dare.* Inter formulas sunt, *dos data*, dicta, promissa. Brisson. d. Form. VI, 125. Plura cupienti administrabit Heineccius, peritissimus juris romani.

minas quinq. accipe. Cum pretio offertur nova rixandi litigandive occasio. Supra II, 1, 66. 67.

V. 67. *Merced. dare lex jubet* etc. Solon hanc legem tulerat, ne juvenum multitudo instigantibus frustra ureretur voluptatibus. Ob id ille laudatur in una comoediarum Philemonis, quod locum cupidini concesserit pro unico obolo sedandae. Et si qua lex exstiterit, quae *mercedem dare* juberet, nulla poterat esse, nisi Solonis, qui, ut juvenum libidines expleret, feminisque simul honestis civibus parceret, Cypreae Pandemo sic dictae templum primus posuit. Athen. Deipnosoph. lib. 13. *Merces* est, quod pretium; cf. Horat. Od. 1, 27, 13. 14. „non alia bibam *Mercede*" h. e. pretio. Sic alibi. *Merces* autem derivatur a merendo. Ab eodem etymo merx est, ipsa meretrix; itaque obscurum non est, quid illa lex dicat, quid sibi velit, *Mercedem dare* jubendo. Ita detorquet Phormio causam Demeae in injuriam, legibus de *dote* et de *mercede* confusis. Ut taceam, quod senem illudat, verba ejus v. 62. 63. *lex jub. Dotem dare* imitando.

V. 68. *Ut ne quid turpe civis* etc. Id ipsum est, quo nititur illud, quod supra I, 2, 77. Phormio ait Antiphoni se facturum: *Ego te cognatum* etc.

in se admitt. Verb. *admittere* sensu malo, sic nonnunquam, cum adjecto nomine. Exempla non desunt, Adelph. III, 3, 54. Eun. V, 2, 14. Heaut. V, 2, 3. Adelph. IV, 5, 48.

V. 70. *Ut cum uno* etc. cf. Heaut. II, 4, 12. Ut ducta honeste vitam degeret cum marito. In aprico est, *cum uno*, opponi τῷ cum pluribus. Et meretrix audire non vult, quae uni morem gerit. Plaut. Cist. I, 1, 80. etc. „Matronae magis conducibile est, Unum amare, et cum eo aetatem exigere, cui nupta est semel. Verum enim meretrix — Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.“ *aetatem degeret.* Ex Plauto est, ad verbum, cit. loc. v. 79.

V. 74. *tecum nihil rei nobis.* Phrasis notissima, etiam Ciceronis, ad Div. 15, 10. „si mihi *tecum* minus esset.“

V. 75. *Tuus est d. gnatus, non tu.* *Tuus gnatus, non tu.* Sic persona certa constituitur, ne quid evagetur controversia, sed certum sit, ad quem solum pertineat res. De certa autem causae constitutione, quae Graecis ὁρικὴ στάσις dicitur, vid. Cic. de inv. 1, 8. it. Quinctil. III, 6.

damnatus h. e. lege coactus, ut illam duceret uxorem. Supra 1, 4, 36. Andr. IV, 1, 30.

V. 76. *Praeterierat.* Recte. Quasi plus sit, quam si, Praeteriit, dixisset. *Praeter.* — *aetas* h. e. juvenilis, s. ipsa juventus. Acerbe dictum in senem. Hec. V, 1, 11.

V. 78. *prohibebo*, excludam. Sallust. Catilin. 21. janua *prohibiti.*

V. 80. *me adversum.* Praepositio postponitur apud poetas. Sic in prosa oratione apud Tacitum praesertim.

V. 82. 83. *quin — fers.* Nuptias significat semel factas. Itidem fere Crito ad Simonem, Andr. V, 4, 18. *non tu tuum malum aequo animo feres?*

V. 84. 85. *egone t. expet. Amicitiam? aut* etc. Per interrogationem magis urbane, quam si diceret, Nunquam tuam expetivi amicitiam; nunq. vellem te visum etc. Sic Andr. V, 4, 18.

V. 86. 87. *habeb. quae t. Senect.* cf. Adelph. IV, 7, 32.

tuam Senect. oblectet. Cum odio. Aliter Cicero, ad Q. Fr. II, 3. „*Oblecta* te cum Cicerone nostro quam bellissime.“ Inde Phormio verbo fere, non sensu eodem diceret: *Oblecta* te cum Phanio tua quam bellissime. H. e. habeas tibi, ego non desidero. Add. Ter. Adelph. I, 1, 24.

V. 88. *hoc age.* Formula attendendi animum in rem. Sueton. Calig. 58. Sic loquuntur animum alterius directuri

in rem praesentem. Formula in sacris et auspiciis capiendis solita: *hoc age.* Enimvero dum magistratus vel sacerdotes res divinas facerent, a praecone inclamatum: *hoc age*, qua voce Plutarchus testatur admonitos, ut erectis vel attentis animis in eam curam cogitationemque incumberent, nec oscitantes, aliasve res agentes, sacris operam darent. Quin etiam hoc loquendi genere attentionem sibi veteres conciliabant, auditoresque efficiebant excitatos. Andr. I, 2, 15. II, 1, 10.

V. 90. *Abducere*, cf. infra V, 3, 16.

ejiciam. Vehementius hoc, quam *prohibebo domo*, ut supra v. 78. Add. infra IV, 3, 22. Et Cic. Phil. II, 38. „Sororem tuam *ejecisti*, alia conditione quaesita."

ACTUS II. SCENA IV.

V. 7. *Quid ago?* Pulchre sonat oratio: *ago*, *Hegio*, *ego*; ridicule, cum Hegio fere nihil amplius profert, quam *ego?* post, *Hegio*, se rogatum.

Cratinum, censeo. Sic Latine. Minus ideo placet Bentlejana mutatio: *Cratinus, censeo.* „Id est, *Cratinus* dicat." *Cratinum* autem sc. judicare, accusativo casu, absolute magis ponendum erat, quam *Cratinus*, in nominativo. Forsitan vir-magnus illud propositum sibi habuit, quod est, Heaut. III, 3, 27. Sed hic aliter.

V. 8. *dic.* Formula rogandi in senatu. *Dicere* verbum solemne erat. Consul vota singulorum colligens, dicebat ad eum, cuius sententiam rogabat: *dic.* Hinc ille sententia sua prolata finiebat hoc: *dixi.*

V. 14. *suus cuique mos.* Deest verbum *est*, quod exstat in manuscriptis libris Prisciani. Sed Prisciano, putamus, plerumque ex memoria citanti, non semper est fides habenda.

V. 15. 16. *quod sit fact. legib. Rescindi posse.* Acced. jus Atticum, de quo vid. supra 3, 8. 59. Secus id ipsum Romae fuisse videtur. Nam „praetorum edicto vel jure praetorio *rescindebantur* aut dissolvebantur, quae quis metu coactus vel dolo deceptus promiserat." Heusing. ad Cic. de Offic. I, 10, 7.

Rescindi. Cic. Phil. 1, 9. „quibus cum provocatio dabatur, nonne acta Caesaris *rescinduntur?*" Idem usus loquendi prodit ex Valer. Max. IX, 6, 3. „cuius *factum* senatus neque probare potuit, neque *rescindere* voluit." Ut rem ab omni parte illustremus, ad Ciceronem redimus, in orat. Verr.

II, 2, 26. dicentem: „ut injurias — *rescinderet*, et irritas faceret.“ Idem enim existimare videtur, civitates non ita multum florere, ubi inter alia, res judicatae rescindantur. Sed quid dicamus amplius? Patet ex praemissis, verb. *rescindi* judiciale esse ac positum pro aboleri, abrogari.

V. 18. *fecistis probe.* Ironice.

V. 19. *Incertior sum* etc. Risui erant Hegio, Cratinus, Crito, qui solemniter rogati nihil sciebant, quid responderent.

V. 21. *Is quod m. ded. — consil.* Ad fratrem redit consulendum, quia jureconsulti non satisfecerunt.

Ab hoc versu putaverunt quidam, actum huius fabulae non tam secundum finiri, quam tertium potius incipi debere. His ita putantibus non assentimur. Nam quoties verba, *Sed eccum* etc. ponuntur, claudi solent scenae apud Terentium, ut videre licet, Hec. III, 1, 5. 4, 35. IV, 1, 8. Adelph. IV, 7, 2. V, 7, 25. Nec minus ita in Andria.

ACTUS III. SCENA I.

V. 4. *tibi domi est.* Dubitatur, certior sit *tibi*, an altera lectio *tuae.* Cicero quidem loquitur, „*domi* meae,“ quidni ferendum quoque *domi tuae?* Sed nescio an *tibi* et *tuae domi* diverse sentiatur.

Hic versus, sicut sequentes deinceps, exit pristino jambo, cum priores tres finirent trochaeo et spondeo.

V. 10. *Num quid patri subolet?* Muretus miratur, qui fiat, ut in omnibus Prisciani libris legatur, *Numquid subolet patris?* neque credit genitivum casum huius verbi esse. Recte judicat ille vir, allatis praesertim ex Plauti Casina et Pseudolo exemplis cum dativo, „*subolet* — uxori et *subolet* mihi.“ Casinae vero locus est act. II, sc. 3, v. 59.

nihil etiam. Mentiri Getam, videbis supra II, 4, init.

V. 14. *En, Phormio.* Al. leg. *Heu,* cum aspiratione. Sunt qui scripta distinguant, *Eu, heu,* dolentis, Ei, hei, laetantis vel laudantis.

omnes vos amo, cf. supra I, 2, 4.

V. 15. *Sic habent principia sese.* Sic fere idem, supra II, 3, 82.

res est. Contrahe *re 'st* pronuntiando. Nam, e, prius producitur prae sequente.

V. 20. *ab sua palaestra exit foras.* *Palaestra* non vera, sed simulatur talis, ubi Phaedria importunitatibus dolisve lenonis non minus, quam in gymnasio, exerceatur.

ACTUS III. SCENA II.

V. 5. *si tu — adferres novi.* Itid. Aeschyl. Choeph. v. 654. ἥκω καὶ φέρω καινοὺς λόγους.

V. 6. *Heu.* Doloris exprimendi particula. Virg. A. XI, 841. „Opis nympha de morte Camillae inclamat, *Heu* nimium virgo, nimium crudele luisti Supplicium." Supra 1, 14.

ne quid suat suo capiti. Quid sit, *suo capiti*, vulgare dictum, satis ostendimus. Nunc lubet addere, hoc idem vel in sacris literis obvium esse, 1. Reg. 8, 32. Ibid. Psalm. 7, 17. „Revertetur iniquitas sua *suo capiti*, et in verticem suum injuria sua descendet." Sic dedi Hebraica ad verbum.

V. 8. *logi.* Si quis de hac voce certi quid non habeat in promptu, praebeo notam Mureti, quae est: „*Logi*," inquit, „Nonius, a Graeco λόγοι sermones, vel dicta ridicula et contemnenda. Cicero pro Gallio, Ego te certe scio omnes *logos*, qui ludis dicti sunt, animadvertisse." His adderem Theonis Sophistae Progymnasmat. c. 3. inscript. *Περὶ μύθου*, nisi ibi magis graviter, quam hoc loco, quid *logos* vel fabula esset, dissereretur.

V. 9. *somnia.* Itidem ut *fabulae*, *logi*. Etiam vana figmenta, non vera, alias sub nomine fabularum venire constat.

V. 14. *imprudent.* Malumus *imprudentem* quam *impudentem* vulgo. Nam qui leno auderet ingenuum hominem compellare *impudentem?* Eun. III, 1, 35. Et Clitipho ad servum: *o hominis impudentem audaciam!* Heaut. II, 3, 72.

V. 16. *quam uterque* etc. Non sine negotio sensus eruitur, nisi hic est: Utrique misere vexantur amore.

V. 22. *a me amittam.* Amittere dicunt uxorem, pro dimittere. Plaut. Cist. III, v. 16. „hanc ut habeo, certum (decretum) est, non *amittere.*"

V. 23. *ne parum leno sis.* Eod. fere modo Plautus, Rud. V, 3, 29. 30. „*ne* tu *leno* postules Te hic fide *lenonia* uti."

V. 26. *quam indignum facinus?* Haec verba censeo

per interrogationem tollenda, qua Dorio criminationem adversariorum extenuet. Rationem addit; nam quod suum est, vendere licet.

V. 27. *cum illo ut mutet fidem.* Est autem *mutare fidem cum* aliquo, *fidem* alicui datam fallere. Itid. Plaut. Pseud. 1, 3, 141. „perdere *cum* aliquo *fidem.*" Contrarium est ap. Cic. et Liv. servare etc. aut firmare *fidem cum* aliquo. Cic. de Offic. III, 29. et Liv. 28, 17. Add. Sallust. Jug. 52. „Ac ni — cuncti — *fidem mutavissent.*" Superest Liv. 31, 28. „Ad Aetolos mittit legatos, ne gens inquieta adventu Romanorum *fidem mutaret.*"

V. 29. *sies.* Bentlejus refing. *siet*, propt. *maneat* ante, et quia dicat Ph. non ad lenonem, sed de lenone ad Antiphonem et Getam. Id maxime esse oratorie putamus. At comice magis convenit secundae et tertiae personae mutatio. Vertitur enim Phaedria modo a lenone, modo ad eundem. Sic est, Andr. V, 3, 18 seqq.

V. 35. *advers. ingen. meum.* Quia leno est, id est, pretii cupidissimus accipiendi.

V. 39. *praestituta*, dies solutionis. Ita Cic. Tusc. Q. 1, 39. Et proprie in hac re Ammian. Marcell. 17, 3. — „cuncti ante *praestitutum* tempus debita contulerunt."

V. 41. *minime, dum ob rem.* Impuri hominis est impurus sermo. Sic apud Sophoclem: *τὸ κέρδος ἡδὺ κἂν ἀπὸ ψευδῶν εἴη.* Et Juvenalis, tanquam Sophoclem sequeretur, Sat. IV, 204. dixit: „Lucri bonus est odor ex re qualibet." Leno autem nil nisi lucrum quaerit vel foedissimum.

V. 42. *sic sum: si placeo* etc. Hic Priscianus non indicativum modum videt, sed dubitativum, quem dicit, vel interrogativum: *sic sum, si placeo* (?) *utere.*

V. 48. *Mea lege utar*, cf. supra v. 42. *utere*, scilicet qua *lege* ipse utar, *ut potior sit*, qui prior est. Hor. Epod. 15, 13. „Non ferat, assiduas *potiori* te dare noctes."

ACTUS III. SCENA III.

V. 11. *huius.* Phaedriae scilicet, ad quem ab Antiphone se convertit.

in malo — malum. Comice sic conjunctum. Duo autem mala contraxit sibi Geta, magistri munere in duos pueros demandato non bene usus; cf. supra I, 2, 21. 22. Laborat enim unus filiorum nuptiis, alter amore meretricio. Cum

dicit: *quaerere*, sequitur, esse malorum alia, quae immineant servis. Quorum vero multitudinem annumerat Douza ad Plaut. Amphitr. Prolog. 31. „*metuo malum.*" Ubi ille interpretatur, esse serviles poenas, ulmos sc. stimulos, laminas, crucesque, compedes, nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, et quae sunt ejus generis alia.

V. 15. *ab ocul. meis.* *Tò meis* pro monosyllabo est legendum.

in ignotum — loc. Al. omitt. *in.* Quo tamen retento stat octonarius. *Alius ab oculis meis illam — abducet —?* Sic dolet sibi fieri Aeschinus in Adelph. IV, 5, 27. his iisd. fere verbis.

V. 17. *aut quidnam.* Pro *aut* al. leg. *ut*, quod Terentii esse Schaefer defendit, ex graeco *ἵνα τί, ut quidnam?* oriundum. Lamb. Bos Ellips. §. 349.

V. 18. *Quoquo hinc asportab.* etc. Ut Phaedria, item de amore desperans *Clinia* in Heaut. I, 1, 65. patriam relinquit, nec minus ita Charinus, in Andr. II, 1, 22. abiturus.

V. 21. *pigeat.* Lectio altera *poeniteat*, cuius quidem firmandae fidem non spondeo, uno tantum nescio quo loco inventae.

V. 24. *solae.* Adjectivum pro adverbio, solum. Vid. Zumpt. Gram. lat. §. 84.

V. 29. *Solus est homo* etc. Calpurn. Ecl. II, 53. „Hunc *solum* regnare fatebor." Ibi Kempher notat: Emphasis est in hac voce. Adde Virg. Aen. I, 664.

V. 30. *quod opera mea vobis* etc. Mutua opera se juvant Antipho et Phaedria amici, maxime per servum intermedium. Ita Pamphilus et Charinus, in Andria; Phaedria et Chaerea fratres in Eunucho; sic Aeschinus et Ctesiphon in Adelphis; nec minus in Heautontimorumeno Clinia et Clitipho item. Quorumque singulorum laborant re vel conditione, uni uxoria, alteri meretricia. Proinde ex hoc loco, uti ex innumeris aliis, dilucide patet, quam parum variat fabularum Terentianarum materies inventa vel argumentum. Nihilo minus non satis miramur artem orationemque huius comici poetae exquisitissimam.

ACTUS IV. SCENA I.

V. 13. *extrario.* Hoc verb. *extrarium* Muretus rejicit, ut minus latinum; quod tamen alii agnoscunt, inter quos et

veteres grammatici, Festus et Popma. Is autem de *extrario* et *extraneo* dicit distinguendis ita: *Extraneus* dicitur, qui est ex aliena terra, quasi exterraneus. *Extrarius* est alienus, qui extra forum, jus et sacra familiae est, veluti extra aream. Addit Popma hunc locum ipsum. „In libris quidem Terentii antiquis est *extraneus.*" Vid. infra IV, 4, 25.

V. 16—18. *si me* — *volet* — *Sin spreverit me* etc. Constructio haec orationis, *si* — *sin*, eadem est Liv. I, 47. Tulliae ad virum perorantis, „*Si* tu is es, cui etc. et virum ut regem adpello; *sin* minus, eo nunc pejus mutata est res." Hoc modo etiam apud Ciceronem centies.

V. 23. *Neque defetiscar*, *usque adeo* etc. Cf. Priscian. lib. 18. de hoc loco. „Quod illi (Graeci)," inquit, „solent et per indicativum et per optativum facere, addentes, *ἂν*, conjunctionem graecam, nos (Romani) subjunctivis, per se positis, solemus demonstrare, ut, docuissem, si discere voluisses, *ἐδίδαξα ἂν, εἰ μαθεῖν ἠθέλησας*; id est, poteram docere." Priscianus enim existimat, *defetiscar* esse conjunctivo positum. Cetera quae dicit hac de re, merentur sedulo considerari ac ponderari apud ipsum.

ACTUS IV. SCENA II.

V. 1. *Ego hominem callid. vidi neminem* etc. Similiter Cic. ad Attic. III, 5. — „quo (Lucilio) *hominem neminem* potuisti — mihi — aptiorem." In voce *nemo* major vis inesse videtur, quam in adjecto esset, nullus, seu nullum.

V. 2. *quam Phormionem.* Minus eleganter dictum esset: quam Phormio est. Zumptio aliter sentienti non concedimus. Gr. lat. §. 74. 14. Quidam volunt, rectius esse, *quam Phormio*, uti in Adelph. IV, 1, 18. *quam ovis*, non *quam ovem.* Sed hic alia res est. Multo aptiori et sensu et constructione verborum fluit *Phormionem*, quam illic *ovem.* Add. Zumpt. gr. lat. §. 484.

V. 10. *Sed eccum ipsum.* Amat hanc dictionem scenicam Terentius; cf. Eun. IV, 5. fin. Adelph. IV, 7, 2. et alibi. Quae quidem etiam Plauti est, *sed eccum*, aut, *sed eccam*, praesertim in fine scenae, quando alia persona ingreditur. Ideo particula *Sed* notetur, qua avocatur animus hominis agentis ab alia ad aliam rem vel personam. Cf. supra II, 4, 19.

ACTUS IV. SCENA III.

V. 5. *crede.* Hoc *credo* solitum, humanissime respondentis est. Nam adveniens Chremes Getae, adventum gratulanti respondet: *credo* sc. gaudere te meo adventu. Sic it. Andr. V, 4, 36.

V. 6. *compluria.* *Compluria* veteres pro *complura* dixisse, testes sunt non pauci; sed interest scire, utrum magis latine. De hoc diffusius agit A. Gellius, N. A. V, 21. quem vide.

V. 11. *Inveni remedium huic rei.* Hoc fere modo Aristophan. Nubb. v. 762. „Εὕρηκ' ἀφάνισιν τῆς δίκης σοφωτάτην, Inveni obliterationem dicae callidissimam."

ut, pro postquam; cf. Ovid. Heroid. 18, 26. ubi Kromayer et Nostri et aliorum, interpretandi causa, similes attulit locos.

V. 13. *is qui istam.* Abrumpit cetera, ut blandiatur domino fastidienti rem.

istam. Pronom. *iste* est in usu, cum contemtu pronuntiandum. Id esse discitur ex Cic. oratt. in Catilin. et Verrem. *is qui istam* . . . Possunt suppleri, quae desunt, ex his, quae Geta supra I, 2, inde a versu 72. explicite protulit.

V. 16. *Vides.* Bentlejus edidit, *Videmus*, ex auctoritate sua, ut assolet, non codicum.

V. 18. *fugitans litium.* *Fugitans*, participium, loco nominis substantivi, cum genitivo sequentis. Qua de syntaxi operae pretium est, Priscianum legisse, lib. 18, p. 650. ubi ipsum hoc Terentii, *fugitans litium*, memoratur.

V. 29. *desistat litibus.* In re fere aequali usus loquendi probatur ex Ciceron. de Offic. III, 31, 10. „causa *desistere.*"

V. 32. *aequi bonique.* Id. Senec. de clem. I, 18. — „quantum tibi permittat *aequi bonique* natura." Videtur autem *aequum bonumque* esse, ad quod quis nullo jure extrinsecus cogatur, sed quod ipse pro recti sensu ac rei ipsius necessitate faciat. Ab hoc non differt, quod vulgo dicunt, *ex aequo et bono*, ut Adelph. V, 9, 30. Add. Heaut. IV, 5, 40.

V. 38. 39. *si quis daret Talentum magnum.* Hanc quod attinet phrasin, Popma in Fragm. Varr. notat, per *magnum talentum* omnino significari magnae pecuniae summam,

et forma quadam proverbii dictum de re maximi pretii. Sed Farnabius, ut qui id pro certo putaret numero, ad marginem notavit: „Talentum magnum IXXX librae.“ Nos facimus cum Farnabio. Nam paciscuntur Demipho et Phormio de repudianda uxore, non incerto pretio, sed certo. Incertum autem praecesserat, cum diceret Geta, *nimium quantum libuit*. Et cum Chremes, *dic*, dixisset, Geta certum indicare debebat, non incertum. Aliter Nöhden ad Virg. A. IX, 265. qui censet, *magnum* epitheton esse poeticum, nihil amplius. Quod parvi refert hoc loco.

V. 46. *Ita ut aequum* sc. justum, ex lege constitutum, cf. supra I, 2, 75. Hac lege tamen, qui cognatus esset, orbam ducere obligabatur, non qui *amicus* solum patris, ut secund. v. 45. Sed divertit vel detorquet causam parasitus, ut senem trepidum ac minus versutum emungat argento. Inde veniunt fabulae, figmenta, fallaciae istius callidissimi Phormionis.

V. 49. *fabuler*. Recte. Nam ficta res est, quam pro vera venditat. Ad hoc notetur ambiguum verbum *fabulari*, quod est aut fingere aut narrare. Vid. Adelph. IV, 1, 21.

V. 51. 52. *si vult Demipho Dare* etc. Propter hanc propositam conditionem cognoscere licet animum maligni Phormionis, qui mercede promissa fidem sponsae datam facile mutet. Atque hoc tironum causa maxime animadvertimus, et quidem non ob id solum, ut eos in eruendo rei argumento adjuvemus, sed ut, qui erectioris ingenii sint, adducamus ad intelligendum illud, quantopere a Poeta servetur persona parasiti Phormionis.

Dare quantum. Plenius: *Dare* tantum *quantum* etc.

V. 55. *scientem an imprudentem*. Vid. Nep. Conon. 5, fin. unde patet, *imprudentem*, si opposit. τοῦ *scientem*, valere pro nescientem.

V. 56. *Quid, si animum* etc. Hoc proverbium esse diximus jam pridem ad hunc locum, nec minus, quid significet. Nunc interpretamur Demiphonem, quasi dicat ita: *Quid* tum? si plus *debet*, quam possit dissolvere? Aut, fortunis non sufficientibus, nil nisi *animus* istius hominis restat ad solvendum; id est, nihil restat.

V. 57. *Ob decem minas*. Hoc numero, *decem*, Terentius utitur non semel, fortasse eodem dotis olim consueto.

minas. *Mina*, μνᾶ, id. quod libra et pondo, valebat

drachmis Atticis centum. Ex computatione Eisenschmidii, *decem minae* aequantur CL nummis coronatis seu imperialibus.

V. 58. *Aediculae item* etc. Pergit Geta parasitum facere dicentem. *Aediculae.* Per diminutivum attenuat rem suam in initio quidem postulationis, quae vero crescit cum apparatu petito v. 60.

V. 67. *occidisti me.* Sic Plaut. Pseud. IV, 1, 21. „*occidis me.*“ Adnot. Taubm. „odio et molestiae es mihi,“ nostro loco citato. Locutio comica est, ne, tragica, dicam, sicut, *enecas me*, *perii*, aliaeque.

ACTUS IV. SCENA IV.

V. 1. *Emunxi argento senes.* Plautina vox, *emungere* quem *argento*, pro defraudare, circumscribere, gr. *ἀπομύττειν.* Plaut. Epid. III, 4, „qui me *emunxti.*“ Metaphora videtur esse Taubmanno servilis et jocosa: delusum hominem argento spoliare, uti nasum exonerare plenum mucoris. Ut altius petamus e Xenophont. *II*, 1, 2, 16. verb. synonym. *ἀπομύττεσθαι,* emungere se. Poeta autem noster ubique fere in servis observat humile genus dicendi. Si quis erit, qui judicet, Terentio urbanissime dicenti ne unum quidem verbum excidere debere inurbanius, illud sapiet nequaquam. Sed, quod bene notandum, alius est Terentius ipse, alius servus, quem ille vernacula sua facit utentem.

V. 13. *non enim ducet.* Sunt qui, quod rectius ob versum arbitrantur, ordinant: „*enim non ducet*,“ cum *enim* in principio ponitur interdum, ipsum apud Terentium, Hec. II, 1, 41. Nos mutamus nihil.

V. 21. *Vocandi.* Ad coenam scilicet. Haec item Graecis est ellipsis, *δεῖπνον*, ut verbum *καλεῖν* absolute ponatur. Lamb. Bos ed. Schaef. Plene Xenoph. Mem. II, 3, 11. *καλεῖν σε ἐπὶ δεῖπνον.* Sic et Ter. Andr. II, 6, 22. Ph. V, 9, 64. Cic. ad Attic. XI, 3.

Hic occasionem nacti non sustinuimus, quin animadverteremus, quam necesse esset ante omnia, ut, si quis linguae latinae operam daret discendae, phrases strictissime sic dictas compararet sibi cognitas, nec minus item syntaxes. Per illas autem intelligimus, si quae, aut eadem verba ad totum orationis quoddam inter se jungantur; per has, non quidem, quae et eadem, sed quo pacto, vel qua lege

dicendi certissima, quaequae verba sint, componantur in unum. Legant itaque, uti pueros juvenesve admonere velimus, legant iterum iterumque scriptores latini sermonis, et huius exquisitissimi; inde abstrahant sibi, duce magistro, quid sit normae dicendi, quid styli bene latini, ut imitentur calamo excipiente, si invenerint, quae placeant sano judicio percepta. Ac profecto talis discendi exercitatio, quae sic ex ipsa scriptorum lectione frequentissima fuerit comparata et acquisita, videtur nobis usum et fructum, ab libellis grammaticorum speratum, quibus hodie pueri ac juvenes in perdiscendis inculcandisque memoriae regulis exerceantur, multo superare. Et praeceptores, vel omnino scholarum magistri, id agere potius debebunt, ut, quam optimo modo possint, alumnos suos edoceant grammatice, et quidem solis ducibus auspicantibusque Romanis, quam quo ipsi sua grammaticae artis systemata conscripta publice edant. Si aliter, timendum erit, ne auctoritas grammatici alicuius apud teneram discentium aetatem major sit, quam ipsius Ciceronis aliorumve antiquitatis romanae. Haecce vero nostra notatio speramus fore, ut sic accipiatur, uti data fuerit, absque ulla secus judicantium offensione. Nam nemo, putamus, cui sana mens est, aegre feret aut gravabitur, si quando alius, quid sibi videatur, liberius declaravit.

V. 25. *Introiit in aed. ater al. canis.* Si quid supersit ad hunc locum, quod non attigerimus, et si quis plura cupiat, provocamus ad Plauti Stich. III, 2, 7, interpretemque ejus Taubmannum. Etiam ex Suida notandum — εἰ ἐν τῇ στέγῃ ἐφάνη γαλῆ, ἢ ὄφις, τόδε τὶ σημαίνει.

V. 26. *Anguis in impluvium* etc. Cum his portentis confer, quae legimus Horat. Od. III, 27, et Ovid. Fast. II, 711 — 12. „Ecce! nefas visu — med. altarib. *anguis* Exit, et“ etc.

V. 27. *Gallina cecinit.* Prodigium est hoc inter illa, paulo ante memorata, quae male antecedebant nuptias. Conf. Virgil. A. 1, 345. etc. „Cui pater intactam dederat, primisque jugarat Ominibus“ etc. Verum quod Romanis omen, quod prodigium videbatur, id nobis hodie nihil aliud est, quam insolens aliquid. Quis vero non audiet interdum gallinam vocem imitari galli gallinacei? Tamen nemo, qui sana mente est, audito hoc terrificabitur. Quid autem prodigii esset, si gallina vocem suam ediderit, non galli?

ACTUS IV. SCENA V.

V. 1. *ego curabo* etc. Delectat cura nimia, qua nulla est opus.

V. 5. *reiciat.* Lege per episynaloephen, *reî*, non *reji.*

V. 11. *quid tua — id refert?* Latet Demiphonem, quid cupiat Chremes. Is enim voluerat jam pridem filiam, in Lemno sibi natam, nubere Antiphoni. Id consilii absconditi secum, inventa tandem filia sua, declarat, infra V, 1, 30 seqq. laetaturque simul, forte fortuna evenisse, quod ipsum diu habuerit in voto. Id ergo est, in quo cardo vertitur causae.

tua, in unam syllabam contrahitur, quo facilius versus expediatur.

V. 13. *praedicet.* Goveanus leg. *putet*, propter versum. Non probamus. Nam non versus unicae curae nobis erit, sed praevalet significatio rei. *Praedicare* autem verbum rumoris est vel famae, *putare* non ita. Dixerat paulo ante, *si non id fama approbat*, v. 12.

V. 15. *ubi — reperire possim* etc. cf. Euripid. Hecab. v. 484. *ποῦ — ἐξεύρομαι —?* Sic solent in scena.

ACTUS V. SCENA I.

Hanc scenam primam, qua catastrophe seu dissolutio turbarum indicatur, faciunt quidam ultimam actus prioris; sed nos cum aliis primam esse judicamus actus quinti sive ultimi. Nam in ceteris fere omnibus Terentii fabulis quinto demum actu catastrophe explanatur, quamvis eadem praeparata priori. Atque hunc morem Poetae non relinquendum arbitramur.

Versus huius scenae octonarii sunt, paucis exceptis.

V. 5. *exanimata.* Itid. Hec. V, 3, 27. And. I, 1, 104. I, 5, 16. His tribus locis verbum *exanimare* continetur. Necesse autem est conferre Poetam cum semetipso, ut mos ejus magis magisque cognoscatur. Quod ideo velim dixisse, ut tirones semel id sibi habeant commendatum.

V. 16. *st!* Haec est nota silentii, comitata forsitan cum gestu apud veteres, quo, manu labiis admota, ostendebant, se velle silentium. Hoc certe videre licet in gemmis lapidibusve aliis ab arte impressum.

V. 17. *Conclusum hic habeo* etc. Magis explicite, pro more suo, Plautus, Rud. III, 1, 18. „*Concludo* in vincula bestiam nequissimam.“ Hinc ad hoc Terentianum Taubmannus respexit. Ac Terentium credere est, M. Catonis quod de clausis canibus praeceptum exstat, per joculum spectasse, eo magis, quod etiam mulieres scenicae oblatratrices (Plaut. Mil. III, 1.) audiant in comoediis.

V. 26. *Antiphonine? S. hem isti ipsi.* Dixeramus, Bentlejum *inquam* ingessisse. Hoc vero non fecit sua, sed Glareani auctoritate, qui *inquam* in vetusto codice esse vidit.

V. 29. *Composito fact. est.* Cf. supra II, 3, 42. Nunc nodus solvitur, nutrice nescia.

quo modo — hab. Sine dote. Quod ignorato nomine fiebat; cf. supra I, 2, 70. 71. hic non ita.

V. 31. 32. *offendi adveniens Qui cum volebam* etc. Participium *adveniens* praesentis, pro praeterito tempore est sumendum. Hoc ita esse, docet inter alia Priscianus, lib. XI. de temporibus, ubi ait: „Praesentis tamen participium, quod etiam praeteritum imperfectum significat, solet conjungi verbis praeteriti perfecti, et plus quam perfecti, et significationem eorundem temporum complere" etc. H. l. particip. *adveniens* verbo *offendi* conjunctum videmus, ut sit: Postquam adveneram, *offendi.*

ACTUS V. SCENA II.

V. 2. *dici nos studem.* Accusativ. c. infinitiv. post verb. *studere*, sive accusativus sequatur nominis, sive pronominis. Hunc itidem hic retinendum esse, quam post velle, videre; sic judicat Drakenborch. ad Liv. III, 68. — „se duces esse volunt," ubi, se, a quibusd. omitti reprehendit, nostro loco spectato.

V. 3. *Ita fug. ne praet. cas.* Hoc idem Priscianus citat: „*ita fugias, ne praeter casam* (quod ajunt)." Quod graece interpretatur: *οὕτως ἄρα φύγοις*, ut doceat, quod latine confirmemus, id nos dare saepius per conjunctivum, ubi Graeci addant particulam *ὥς* vel *οὕτως*. Argumentum rei adagio Romanorum comprehendi, dictum est alio loco. Hic addimus, an verbo, *ne praet. casam*, non potius significetur, non ulterius justo progredi, ut copia nostri supersit?

V. 7. *Verissime.* Comice Geta assentit domino, seipsum damnanti stultitiae.

V. 11. 12. *ut ux. h. ej. adduc. Cum ista* etc. Laudanda est veterum prudentia sciscitandi vel expediendi res muliebres per mulieres ipsas. Sic fecit etiam Postumius consul de exploranda Hispala per Sulpiciam socrum suam; v. Liv. 39, 11.

V. 15. *versuram solves.* De mutua agitur eroganda pecunia, qua *solvatur* debitum prius. Aliter Cornel. Nep. in

Att. 9. *versuram facere*, q. d. sumere ab aliquo pecuniam mutuam simpliciter. Legunt quidam *versura*, in ablativo casu. Non displicet. Sic enim Cic. Attic. 5. „Ut verear, ne illud, quod tecum permutavi, *versura* mihi *solvendum* sit.“

ACTUS V. SCENA III.

V. 5—8. *quia p. mei patris b. p. indiligenter* etc. In simili re Plin. epp. VI, 3. „Erat (agellus), quum donarem, centum mill. numûm: postea, decrescente reditu, etiam pretium minuit, quod nunc, te curante (Vero), reparabit.“

bene. Cum multa diligentia. Opponitur *indiligenter*. Andr. Prol. 21.

V. 6. *bina.* Id est, tot per annum redibant. Recte dicit *bina*, scilicet per singulos annos vel quotannis. Perperam inde *duo*, altera lectio. Nam *duo*, poterat esse, per annum singularem quendam, cum *bina* significat, per annum quemlibet. Quod vero discrimen fugiebat doctrinam liberariorum.

V. 9. *virum me natam.* Cave *natum* amplectaris, quorundam codd. lectionem. Nam mulier *nata* dicitur, non *natus*. Quod sententiam attinet verborum, contra audimus Juvenalem, Sat. II, v. 250. — „Quae fugit a sexu? — haec tamen ipsa *Vir nollet fieri.*“

V. 14. Videmus, quam hebeti ingenio Demipho est, qui nihil sentiat, nisi quod Chremes significantissimis verbis eloquatur. Urget enim Chremetem eloqui invitum, quod is tacere vult propter instantem uxorem. Et enicat eum interrogando.

V. 15. *cum ista.* Per contemtum. *hanc*, δεικτικῶς, quam vident non procul, Nausistratam; supra 5, 7.

V. 16. *abduci non potest.* En quid valeat ars! Sensim sensimque pervenitur ad rem cognoscendam.

V. 18. *deliras.* Ad graec. etymon me converto. Aristoph. Plut. v. 28. λῆρος· οὐ γὰρ παύσομαι etc. Cetera vide apud ipsum. Sed scholion est: λῆρος καὶ φλύαρος εἶ λέγων, h. e. nugax et garrulus es, qui ista dicas.

V. 19. *redi mecum in memoriam.* Sic loquitur Cicero, in Verr. II, 1, 46. „*redite in memoriam*, judices.“ Quod adjectum est, *mecum*, aut Terentio familiare esse putamus, aut interpretamur: *redi* tu, ut ego redii, *in memoriam.* Infra 9, 43. 44.

V. 20. *cave ne in* — Contrahe recitando, *cau' n' in.*

V. 24. *at ita me servet Jupiter.* Praeterquam quod jurandi haec formula est, aliud notetur, *servatores* dici deos, qui Graecis item θεοὶ σωτῆρες vocantur. Andr. III, 1, 15.

V. 27. *parvam.* al. *parum.* Praefero illud, propter Eun. I, 2, 117. Deinde, *parum fidem esse*, minus latine sonaret.

V. 34. *gnatam inveni nupt. c. tuo filio.* Mire haec summa rerum, sic breviter! Sed morem hunc novimus Terentii.

ACTUS V. SCENA IV.

V. 3. *Quas mederi.* Huius syntaxeos Priscianus exempla quaesivit alia, vid. lib. 8. p. 288. Terentii hanc non omisit.

V. 5. *me evolvere ex his turbis*, cf. Eun. IV, 4, 55. In libro G. Fabricii et Lolgii, teste Mureto, est *exsolvere.*

V. 7. *ostenta.* Non ferendum apud Priscian. lib. 15. *ostentata.* Per hoc enim versus exiret in trochaeo. Etiam *ostenta* et *ostensa*, legitur.

ACTUS V. SCENA V.

V. 2. *potiretur.* Ex Ovid. Metamorphos. lib. XIII, versu 130. probari videtur *poteretur* tertiae conjugationis. Et hoc *poteretur*, quod Priscianus adducit, commode metro responderet.

V. 7. *ut fugitet patrem.* Opprobrio est, quod Antipho fecerat supra I, 4, 38.

V. 8. *Te suas rogavit rurs. ut ageres: caus. ut p. s. diceres.* Quem versum plane alium libri quidam praebent: *Te suam rogavit rursum ut ageres causam.* Nos vero non *suam*, sed *suas* sc. partes Terentium scripsisse credimus, propter *partes tuas*, versu priori. Nam si τὸ *suas* statuitur, tunc habemus distincte ac latine, quae ponuntur, *suas* partes *agere*, et *causam dicere.*

V. 11. *conficere — argentum.* Non aliter Liv. 4, 60. „Unde eam pecuniam *confici* posse, nisi“ etc.

V. 12. *Geta est.* Debuerat dici: *G. egreditur*, quod praecesserat *egrediatur;* sed tale amat comicus sermo, ut non omne sit verbum ex trutina examinatum. Vid. quae notavimus ad Hec. IV, 2, 25.

ACTUS V. SCENA VI.

V. 1. *O fortuna! o f. fort. quantis* etc. Haec verba inter protrita ac vulgaria obvenire, non discitur, nisi cognita Bipontinorum nota ad Ter. Varron. fragm. epist. ad Fuflum, ubi haecce Terentii adducuntur.

V. 6. *tantundem.* Huius vocis explicatio inest in praecedente, *nihil.* Alias ejusdem vis minus a dicentis ore exprimitur, quam a demonstrantis digito summo contemtim. Infra 8, 36.

V. 7. *Ad lenonem* etc. Comicum est, Getam prae studio ac festinatione, quos vult, non videre. Hoc ad verisimilitudinem fieri potuisse, ob magnitudinem theatri, diximus in Didascaliis edito Terentio praemissis.

V. 8. *Num mirum aut novum* etc. Consuetudo erat, etsi non laudanda, servos currentes revocare ac retardare, ut, si domum rediissent tardius, vapularent. Itid. Andr. II, 2, 7.

V. 9. *nunq. tu odio tuo me vinces.* Hoc est, *nunquam tu*, odiose, *me* revocando *resistere* coges.

V. 10. *Vapula.* Sic revocati respondent ferociter, quisquis vocaverit, non curantes. Jam vero ridiculum est, servum ipsi domino minitari. Hoc autem ridiculum tollitur, si verbis: *curialis vernula est qui me vocat*, ex sententia Mureti locum concedimus. *id quidem tibi jam fiet.* Quod scilicet *Vapula* ille dixerat. *Vapula*, omne malum, quo corpus servile percutiatur; vid. Eun. V, 5, 27. Adelph. II, 2, 5. Videtur Terentius hunc versum e Plaut. Asin. II, 4, 72. desumsisse, quem vide.

V. 14. *ab diis solus diligeris.* Id est, beatissimus es. Andr. V, 6, 9.

V. 21. *omitto proloqui.* Dicit, *omitto proloqui,* tamen non expeditur ambagibus. Sed jucunda est singularum rerum expositio.

V. 22. *Ubi in gynaeceum* etc. *Gynaeceum* quid sit, vix erit quisquam vel tironum qui nesciat. Addimus tamen ex Aristaeneti epist. 19, lib. 1. — „ἐν ταῖς ταλασίαις πρὸς ἀλλήλας ὁμιλοῦσι γυναῖκες. Versantur inter se invicem mulieres in gynaeceis.“ Notum est, quod Cornel. Nepos dicit in praefatione, de differentia morum graecae gentis ac romanae: „neque sedet (mater familias apud Graecos), nisi in interiore parte aedium, quae *gynaeconitis* appellatur.“

V. 33. *cum ejus consuevit olim matre.* Hoc sensu venereo loquuntur. Itid. Cornel. in Alcibiad. 10. „At mulier,

quae cum eo vivere *consuevit.*" Ibi Fischerus inter alios locos, etiam Terentii hunc et Hecyrae IV, 1, 40. allegat. Plura addidit ille, quae digna sunt, ut legantur. Ibique idem *τὸ vivere* expungere cupit, nostro aliorumque locis innixus, unde appareat, *consuescere* cum aliquo, cum aliqua, verbo vivere non addito, per se notare i. q. concumbere, rem habere, aut simile, quod libidinem arguat Veneris. Adelph. IV, 5, 32.

V. 37. *Atq. hercle — fabulam.* Haec verba reddimus Phormionis personae dicenda, quae cum Bentlejo tribuebamus olim Antiphoni. Quod ille protulit, huiusmodi est, ut exigua tantum fides concilietur mutationi.

ACTUS V. SCENA VII.

V. 1. *Tantam fortunam de improviso* etc. Haec et quae sequuntur, hac scena comprehensa, vulgo solent continuari prioribus. Etsi autem vetustissimi librorum veterum hoc consulant, nos tamen cum aliis facimus scenam hanc separatam. Nam post diverbia plurium, continet ea soliloquium, vel quod canticum dicitur, unius actoris. Qui vero sola restiterit persona, ejus etiam sola esto scena aut separata. Exempla pauca tantum ut revocemus, Eun. III, 4. IV, 1. Heaut. II, 1. Adelph. III, 5. IV, 4. Hec. II, 3.

V. 7. *gestus mihi vultusque est cap.* Phormio, versutissimus homo, simulare se ac dissimulare callet. Tacit. An. I, 7. de principibus Romae, Tiberio Caesare imperitante: „quanto quis illustrior, tanto magis falsi ac festinantes, *vultuque* composito etc. lacrimas, gaudium etc. miscebant."

capiendus, assumendus, sumendus. Etiam in mentem venit faciei effictae in theatro, larva vel persona quae dicitur, histrioni imposita seu praefixa. De hac re jam dudum disseruimus.

ACTUS V. SCENA VIII.

V. 1. *Diis magnas merito gratias* etc. cf. Heaut. I, 1, 109. Hec. III, 2, 11. „Hac enim gratiarum actione gratulari se divis dicebant." Brisson.

V. 3. *Quantum potest,* more Plautino. Suppletur verb. fieri. Haec brevitas loquendi excusatur in vita communi.

V. 10. *quanta quanta.* Sic Terentium scripsisse, pro certo habemus, ex Adelph. III, 3, 40. Quod cod. Gothan.

exhibet, *quantacunque*, olet glossam. Nam et particula *ut*, geminatur, Heaut. I, 1, 26. IV, 8, 29. nec minus *ubi*, Eun. II, 3, 4.

V. 20. *viduam* h. e. a viro depulsam. Senec. Agamemn. v. 988. „*vidua* ante thalamos.“ Mulier *vidua* seu solitaria est, quae vitam degit sine viro. *Vidui* anni, qui sine conjuge transmittuntur, Stat. I. Silv. II, 168. Tanto atrocius est, *extrudere* talem, quae sine viro, sine defensore est. Cic. p. Caecina 5. „Cesenniae *viduitate* ac solitudine“ etc. Quid viduitas sit, adposita voce declaratur synonyma.

V. 25. *Tum autem* etc. Haec verba, quae sequuntur, susurrat Chremes in aurem Demiphoni, qui ea dicat Phormioni. Indiget autem Demipho consilio fratris; cf. IV, 5, 7. II, 4, 20. 21.

V. 35. 36. *repudium alt. Remiserim* etc. cf. supra IV, 3, 72. Persistit jure suo in eo, quod convenerat per Getam.

V. 43. *in jus ambula.* Dicitur *in jus*, pro, in judicium. Horat. Sat. I, 9, 77. „rapit *in jus.*“ Itid. Cic. p. Coel. I. p. Balb. vocare — in judicium i. q. accusare.

V. 44. *odiosi pergitis.* Ambo scilicet, Demipho et Chremes. Sunt autem *odiosi* accusatores implacabiles, qui nimis urgendo reum in odium adducunt, nec eum dimittunt. Cic. Verr. II, 4, 44.

V. 48. *Hic quandam noram* etc. Descendit ad rem odiosissimam Chremi.

V. 52. *ludos facit.* Plautina locutio, Pers. V, 2, 23. „*Ludos* me *facitis.*“ Ad nostrum loc. Rivius: id est, illudit et irridet. Significat omnino Romanis, pro ludibrio habere, per lasciviam, contemtum vel delicias; id quod Graecis est, *ὑβϱίζειν*, *καταπαίζειν*. Vid. infra v. 55. Et sic pluribus Terentii locis.

V. 54. *condonamus te.* Item Plauto solemne est verb. condonare, cum accusativo constructum, Bacch. V, 2, 24. *te condono*, et sic alibi.

V. 55. *ludificamini.* Recte. Argentum pacti erant, reposcunt, condonant. Nonne id est, *ludificari?*

V. 56. *Inepti*, *vest. puerili sentent.* Inde venit in proverbium, *puerile* est, quod est inconsultum, *ineptum.* Ceterum quis est, qui non sentiat acerbe illud dictum in senes viros atque ornatos? Puerorum autem similes ducuntur, qui mutant subito sententiam. Hec. III, 1, 32.

V. 57. *Nolo, volo; volo, nolo* etc. Sic dubitat Ulysses, in Euripid. Hecub. v. 566. ὁ δ' οὐ θέλων τε καὶ θέλων.

V. 61. *injeci scrupulum.* Itid. Adelph. II, 2, 20.

V. 62. 63. *Hiccine ut a nobis* etc. *Tam aperte* etc. Senis avari animum mordet, tantum auferri a se argenti. Ob id stomachose concitatur ad lites. *ut a nob. auf.* cf. Heaut. IV, 8, 9. *tantum argenti*, cf. supra v. 4. Cuius *argenti* jam supra, 2, 4. *ultro objecti* poenituit Demiphonem.

emori h. sat. est. cf. Eun. IV, 7, 2. Formula est eadem Thrasoni usitata desperanti. Comicum est *emori* verbum, modo prae dolore, modo prae risu. Eun. III, 1, 42.

V. 64. *Animo virili praesentique* etc. Donatus explic. „A necessario adhortatur." *Virili praesentique animo*, dicit recte Demipho. Nam prope est, ut trepidatione vir pereat coram muliere; id quod scena ultima ostenditur.

V. 71. *gladiatorio animo.* Hoc quid sit, intelligimus e more gladiatorum, in arenam descendentium, quibus aut occidere, aut occidi dicta lex erat. A. Gell. N. A. VII, 3.

V. 76. *ex re istius.* Sic Plaut. Men. IV, 2, 98. „*e re* tua feceris." Id est, pro vel ex commodo tuo feceris. Add. Perizon. ad Sanct. Min. IV, 15. „*E re* mea est, h. e. utile id mihi est." Locutio latine frequens.

V. 77. *Ain' tu?* Plenius: *Aisne tu* quidquam, defendendi tui causa?

V. 78. *huius s. v. feminae primariae.* Genitivum absolute positum expleri putamus cum Perizonio, τῷ causa, pro praepositione, ut sit, *huius* etc. causa. Ellipsis Graecorum notissima. Ita nos graecissare Nostrum existimamus, cum ἕνεκα centies soleat omitti. Lambert. Bos exempla huius ellipsis congessit cumulavitque. Nisi hoc modo, nullo alio syntaxis illa, vereri alicuius, poterit expediri.

V. 83. *Malum, quod isti dii* etc. „Nomina deorum omnia complecti solebant in precationibus," Brisson. de Formul. I, 90. Addimus precationem deorum in contrariam partem, Euripid. Androm. v. 751. θεοί σοι δοῖεν εὖ.

V. 91. *lege agito ergo.* Corrigo me ipse, qui attribueram haec verba Chremeti, non Demiphoni potius. Hunc enim spectant, propter rei argumentum, et locutionem *ergo*. Praedixerat enim Demipho v. 88. *In jus eamus.*

V. 93. *os opprime.* In mentem incidit, ob similitudinem rei et verbi, Euripid. Hecab. v. 1269, ubi Agamemnon in Polymnestorem ad comites: οὐκ ἐφέξετε στόμα; Itid. ibi sub finem dramatis. Quis inde non videt, Terentio nostro Euripidem satis cognitum fuisse?

V. 94. *Quantum valet.* Robustiorem viribus esse parasitum senibus ambobus, facile suspicari licet. Luctationibus scena finitur. Quae vero delicatior Poeta cavet, ne in verbera aliasque corporum afflictiones laesionesve excedant. Minis enim plerumque et gestibus urbane acquiescere solitus est Terentius, adeo ut ipse viris honestioribus magis, quam plebi infimae sortis placeret.

ACTUS V. SCENA IX.

V. 2. *qui hic homo est?* Pronom. *qui* in interrogatione etiam Ciceroni usurpatur, or. p. Rosc. Am. 34. „*qui* prius Ameriam nuntiat?"

V. 6. *Nihil est.* Minuentis rem attenuantisve. Sic Phaedr. Fabb. III, 7, 17. Lupus ad canem: „Unde hoc (collum a catena detritum), amice? Canis: *Nihil est.*" Super hoc vid. P. Burmann. qui pro re sua explananda locos etiam Nostri citat, Eun. IV, 2, 10. et Adelph. II, 2, 25.

V. 13. *quid at?* Iterata vox personae prioris. Hoc modo Andr. II, 1, 14. IV, 1, 19. 20.

V. 21. *Qui mihi, ubi ad uxores* etc. Bentlejus hanc orationem autumat esse femina indignam; quapropter eam attribui vult magis Phormioni. Acute ille vir sensit. Sed non video, cur haec non oratio esse possit uxoris? quae magis implicite quam explicite profertur. Ad hoc accedit, quod iracundia ac veritas rei sic loqui cogere illam videntur.

V. 23. *mansiones.* Ubi per itinerum singulos dies subsistitur, *mansio* est. Ael. Lamprid. in Alex. Sev. 45. Unde huc quae pertineant verba adferimus haec: „itinerum — dies publice proponebantur, ita, ut edictum penderet — in quo scriptum esset: illa die, illa hora ab urbe sum exiturus, et, si dii voluerint, in prima *mansione* mansurus" etc.

V. 24. *haeccine erat — vilitas?* Hoc fere modo, Andr. I, 1, 99. *Hinc illae lacrimae!* Quando enim homines aliquamdiu rei causam ignoraverant, hac tandem cognita atque inventa, tunc ita solent loqui, et quidem vel interrogandi vel exclamandi via. *haeccine*, Sensus: nunc intelligo causam *vilitatis*, quae praetexta fuerat, non vera. *vilitas*, cf. supra 3, 8. *rebus vilioribus.* Vir enim putatur uxori suae sumtum alienum vilitate rerum excusasse.

fructus minuebat. Verb. *minuere* obvium videtur in ore rusticorum. Plin. epp. 6, 3. Erat (agellus) — centum millium nummûm: „postea — pretium *minuit*" etc. Cic. Fam. III, 8. *minuere* sumtum.

V. 31. *ut alia tua* etc. cf. supra 3, 1. *ut soles.*

ut aequo animo feras. Itid. Andr. II, 3, 23. *aequo animo fero.* Id quidem usitatissimum.

ut alia — sunt facta, aequo etc. *feras.* Eodem fere stylo, quae supra sunt, 4, 1. sed non eodem orationis tenore.

V. 32. *cupio defungi.* Ellipsis Terentiana, cf. Adelph. III, 4, 62. 63. H. l. subintellig. libidine; quod reticet mulieris pudicitia.

V. 33. *qui sperem?* Particula *qui* pro quomodo. Festo monente, ablativus est a quis, quid.

aetate porro. Puta, post hos *quindecim annos,* cf. v. 28.

peccaturum. Verb. *peccare,* i. q. vitiare virginem, Adelph. IV, 7, 7. Mitiore idem sensu, in Andr. V, 3, 25.

V. 34. *senectus si* etc. Quodsi *senectus verecundos* facit, *jam tum* debuerat ille esse verecundior.

V. 37. *Exsequias Chremeti — ire.* Graece πέμπειν, comitari, et πομπὴν π. comitatum habere alicui. H. l. pompam funeris ire. Ramshorn. Gr. lat. §. 132. Virg. A. 7, 5. „*exsequiis* solutis." *Exsequias* solvere est, defungi funeris officio.

V. 42. *At meo merito credo,* sc. factum hoc; uti mox patet ex versu 44. Sic in tali re, *factum* Chaerea dicit ac fatetur Eun. V, 2, 12; idem *fecisse* se, ibid. v. 39. Quod *factum* dicere feminam seu matronam minus decebat.

V. 43. 44. *novi aeque omnia Tecum.* Usitatius erat dixisse: „*novi aeque* ac tu *omnia.*" Sed dictio *Tecum* in usu esse videtur Terentio, ac nescio an eadem non minus in communi vita. Cf. supra 3, 19.

V. 48. *huic respond.* Quaeritur, utri fratrum respondeat? Chremeti an Demiphoni? Equidem interpretor, priori. Nam cetera omnia in hoc concurrunt.

V. 52. *Homo,* pro pronomine, Ille. Sic. Liv. 9, 30 et alibi.

si habet unam etc. Quo sensu *habere* sumatur, non latet; cf. Andr. I, 1, 58. V, 3, 18. Per antithesin sunt urgenda *filius, Homo adolescens, unam;* ab altera parte, *tu* pater, senex, *duas.* Certum autem est, veteres Romanos et Graecos per antitheta, quae cogitabant, ordinare et constituere periodum orationis.

V. 64. *quod tuo viro oculi doleant.* *Oculos* illi *dolere,* qui quod nolit, videat, proverbiale est. Et his exemplis, quae attulimus ad hunc locum, non poenitet adjecisse, Cic.

ad Fam. 8, 14. „nunquam tibi *oculi doluissent*, si in repulsa Domitii vultum vidisses."

me ad coenam voca. Audi parasitum apud Plautum, Stich. II, 1, 28. „Sed generi nostro haec reddita est benignitas, Nulli negare soleo, qui esum *me vocat.*" Itid. postulat Gnatho, in Eun. V, 8, 28. ut vocetur ad coenam. Et ubicunque parasiti sunt, coenas divitum postulant et aucupantur. Alio modo Plinius amico se nuntiat ad coenam, jucunde ac modeste, lib. III. epp. 12. „Veniam ad *coenam:* sed jam nunc paciscor, sit expedita, sit parca."

V. 65. *eamus intro hinc. intro*, h. e. post scenam, ubi transigantur, quae supersint. Sic in fine Andriae.

V. 66. *jam hic f. aderit.* Dictio scenica; cf. Eun. II, 3, 76. IV, 7, 41. Hec. IV, 1, 28. Sic saepe. *vos valete et plaudite.* De hac formula satis in nostra editione Terentii arbitramur dixisse.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Andr. Prol. I, 5. *abutitur*. Discrimen verbi *abuti* et uti, a Donato factum, non ubique probatur. Non dubitamus, quin istud fuerit nomini ejus obtrusum.

I, 1, 10. *ut esses libertus mihi*. Sunt qui *libertum* et libertinum confundant, aut plane nullo, aut per verso discrimine. Laurentio Vallae, ut puto, est fides maxime habenda, Eleg. IV, 1. Libertum enim dicit ipsum hominem manumissum, libertinum, forma adjectivi nominis, qui conditionis vel generis sit liberti. Aliter Heineccius, Antiqq. Rom., sequioris aevi auctoritate innixus.

I, 1, 15. *Et id gratum fuisse* etc. „Quem libertum patronus ingratum esse conveniret, is in Lautumias detur." Heinecc. Antiqq. R.

I, 1, 44. 45. *Inopia et cognatorum etc.* Verum est, quod etiam Xenophon dicit, de rep. Athen. I, 5. „ή — πενία — ἄγει (ἀνθρώπους) ἐπὶ τὰ αἰσχρά, Penuria agit (homines) ad turpia."

I, 1, 47. *Primum.* Citatur hic vers. a Prisciano, lib. XV, et Servio ad Virg. A. VIII. Legit ille *Primo.*

I, 1, 60. *Niceratum.* Hoc nomen videtur Xenophon suppeditasse ex Symposio, quippe quod is etiam in portu Piraeo, uti Terentius, celebratum narrat.

I, 1, 112. *Quid feci? quid etc.* Totus locus fere idem Tibulli, Eleg. II, 4, 2.

I, 1, 117. *clamitans.* Verb. *clamitare*, de impetu quod. inepte ac molestissime queritantis seu querimoniam moventis. Cic. p. Caec. 3. Ex quo genere peccati, et illi *clamant*, vel injuriarum, vel sqq.

Andr. I, 1, 126. *meo vir. modo.* Plaut. Pers. III, 1, 31. „*Meo modo* istud potius siet.“ Apud Nostrum: vitae mea ratione instituta.

I, 2, 10. *oscitantes.* Id explicitum habemus ap. Cic. or. II, 33. *oscitantem* et dormitantem sapientiam. Quid sit, *oscitantem*, liquet ex adposito. Cuiusmodi consuetudo est Ciceronis, ut cogitata eloquatur duobus aut pluribus verbis synonymis.

II, 3, 8. *oppido eiciat.* Plautus, pro more suo, licentius: ut eam ex lutulento coeno propere hinc *eiciat* foras. Bacch. III.

II, 3, 21. *uxorem his morib.* Ead. forma loquendi Cicero utitur, de or. II, 26. „*his* ingeniis homines.“

II, 6. 6. *nil facilius.* Sic floccipendit dominum. Si quis miretur, servos tanta licentia abuti erga dominos, docebitur a Xenophonte, qui ait: *Τῶν δούλων — πλείστη ἐστὶν Ἀθήνησιν ἀκολασία* (petulantia); de rep. Athen. 1, 10.

III, 3, 1. Lege: *urbis* pro *nobis.*

III, 3, 31. *hoc.* Al. non hab.

III, 5, 14. *me — conjecisti in nuptias.* Vid. Heinecc. Syntagm. lib. 1. Tit. XXV. §. 1. ed. Haubold. Inscriptum ibi: Cur Romani a *nuptiis* etc. abhorruerint. Causae quidem plures adferuntur, quas qui scire velit, illic ipse videbit.

IV, 1. *Hoccine est credibile* etc. Sunt qui statuant versum dactylico pede movendum. Tunc vero excidit *est.*

IV, 1, 13. *Si roges* etc. Hic locus est Plauti, Epid. II, 1.

IV, 1, 20. G. Fabric. *Qui* pro *Quid.*

IV, 1, 50. *Ex unis*, sc. nuptiis. Datur *nuptiae* in plurali ob id etiam plural. num. *unis.*

IV, 2, 8. *quiesset*, tacuisset. Ita Liv. 5, 51. „Et nunc *quiescerem* ac tacerem.“

IV, 2, 20. Lege: *Periphrasis* pro *Paraphrasis.*

IV, 3, 1. Nonius ex Lucilii Satt. lib. 27. allegat: „cum sciam, *Nih.* esse in vita *proprium* mortali datum.“

IV, 5, 2. Post verb. *adjungere* virgula (,) est ponenda seu comma quod dicitur.

IV, 5, 16. *quam hic mihi sit facile.* Ironice et acerbe. Tamen volebat populus Atheniensis socios in judicium venire Athenas — *ἐπὶ δίκας Ἀθήναζε*, Xe-

noph. de rep. Athen. I, 16. Ubi mox idem: διοικοῦσι τὰς πόλεις τὰς συμμαχίδας. Si id in socios faciebant, quid crederes fecisse in *hospites*, ξένους s. peregrinos? Ergo non mirum est, Critonem odisse dicasteria Athenarum. Addimus apud eund. Xenoph. cap. 3. quod ed. Schneider. inscribitur: de causis, cur socii difficulter Athenis jus suum consequantur.

Andr. IV, 5, 22. *antiqu. obtin.* Itid. plenius ap. Plautum: „*Antiquum* hoc *obtines* tuum," Most. III, 2, 102. Adjiceres plenissime, morem.

V, 1, 15. *Per ego te.* Metathesis s. transpositio verborum, pro *Per te ego.* Broeder. gr. lat. §. 941.

V, 4, 10. *meretric. amores*, cf. Cic. p. Coel. 15. Inter vitia Coelii juvenis numerantur etiam *amores.* Quanto magis *meretricii.*

V, 4, 38. *odium.* Non aliter *scelus*, Andr. III, 5, 1. in vocativo casu. Sic saepe vitiorum appellationes vitiosis hominibus tributae. Vid. Valkenar. ad Euripid. Hipp. 406.

V, 4, 47. *id scil.* Exulat *id* quibusd. libb.

V, 4, 48. *Decem talenta.* Apud Menandrum item δέκα τάλαντα, qua tum dote uterentur locupletiores.

V, 6, 10. *in tempore.* Cum notione utilitatis, uti Xenoph. Hist. gr. III, 4. Sophocl. Philoct. ed. Gedik. p. 104. ἐν καιρῷ εἶναι τινί. Graece et hic Terentium sensisse, quis dubitabit?

— fin. *Plaudite.* In tragoedia Aeschyli Eumenid. fin. Ὀλολύξατε νῦν ἐπὶ μολπαῖς, Cantibus occinite, acclamate.

Eun. I, 1, 9—10. *Act. est — Periisti.* Est in scena munus actoris aut histrionis, ut, factum quod est vel bene vel male, vivacius proferat palam.

I, 2, 9. *Sane, quia* etc. Sic non injuria. Nam Thais, pecunia indigens, contemtum admittit. Et Phaedriam mordet, se superari a Thrasone muneribus.

I, 2, 12. *pars aequa amor. tecum.* Aliis verbis, non alia sententia, Tibull. Eleg. IV, 5, 6. Ovid. Metam. IV, 62.

I, 2, 28. *Potest taceri.* Hoc ipsum verbum Parmenonis L. Valla posuit in dialogo: *neque hoc tacebit Par-*

meno. Sic a Terentio videtur proverbialiter dictum deduci.

Eun. II, 2, 7. *noti me deserunt.* Itid. queritur Medea, Ovid. Heroid. XII, 161 etc. „*Deseror* — Conjuge."

II, 2, 18. *non paro me, ut rideant.* De alio genere est parasitorum Philippus ap. Xenoph. Sympos. 1. qui ad coenas vocari se dicit, ut risum praebeat convivis, quibus autem non ridentibus, tristis abit aut parum contentus.

II, 2, 22. *is quaestuber.* Menander: πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων.

II, 2, 23. *Scitum hominem.* Tanquam arte quad. compositum. Sic Laur. Vall. I, 30.

II, 2, 38. Adde: Pronom. *is.* cum aspiratione, his.

II, 2, 40. *statur.* Si Gnatho, quid agis? interrogasset, respondendum erat, *sto;* non moveor, non agor. Sed passive interrogatur, itidem responsio est.

II, 3, 6. *ecce autem alterum.* Sic in admiratione inopinato advenientis. Itid. Liv. VII, 3, 10. *ècce autem* aliud.

II, 3, 9. *Ludum jocumque.* L. Valla de utriusque harum vocis differentia dicit: *Jocus et ludus* quid significent, tam ex Cicerone (quidni etiam ex Terentio?) tam ex Quintiliano, de ridiculis, colligi potest, ut sit *jocus* in verbo, *ludus* in facto, lib. IV, c. 16.

II, 3, 22. Lege: *Nec* pro *Non.*

II, 3, 85. *Dixti*, elisa media syllaba, pro Dixisti. Itid. Sil. Ital. Pun. XVI, 64. protraxtis, pro protraxistis.

III, 1, 62. *Ridiculum; non enim cogitaras.* Ingens adulatio! Nam qui sciat unus, quid alter mente sua occultet? Herodianus refert, Hist. 1, 43. scurras vel adulatores vere abusos esse Commodo Imp. Rom. Γελωτοποιοὶ δὲ, inquit, καὶ τῶν αἰσχίστων ὑποκριταὶ etc. Et quae isti fecerint porro, vid. apud ipsum.

III, 2, 23. *fac per. in lit.* Quatuor enim sunt, quib. pueros instituere solent, *literae*, *palaestra*, musica, pictura, quam addunt quidam quartam — καὶ τέταρτον ἔνιοι γραφικήν. Aristoteles.

III, 2, 24. *in palaestra. Palaestra* locus exercitandi corporis; aliter castra militantium, Nep. in Epamin.

5. Synonymum gymnasii, Xenoph. de rep. Athen. II, 9. ὁ δὲ δῆμος — οἰκοδομεῖται ἰδίᾳ παλαίστρας πολλάς.

Eun. III, 2, 42. *Una ire cum amica* etc. Cum meretrice ire in via, sane pudet imperatorem. Nam et Cic. Harusp. 15. maxima laus imperatoris opponi videtur inhonestae vitae meretricum. Expressi sunt igitur mores Romanorum magis quam Graecorum, qui leviores in tali re viderentur esse quam graviores.

IV, 3, 16. *res ipsa indic.* Formula. Simili Cicero utitur e. c. pro Mil. 20. „*Res* loquitur, judices, *ipsa*, quae semper valet plurimum."

IV, 6, 21. *peregrinus est.* Odiosum est peregrini nomen Romanis. Nam Cicero ait: Hostis apud majores nostros is dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus, de Offic. 1, 37.

IV, 7, 35. Scribendum erat ICtorum.

V, 4, 4. *amor diffic.* cf. Plaut. Poen. V, 2, 136. „acerba *amatio*," quae detorqueatur lenoni.

V, 5, 16. *quid meretrix siet?* Etiam Callistrati grammatici libellus memoratur a veteribus, qui titulum habeat: *Περὶ Ἑταιρῶν*, de meretricibus; nec non Aristophanis Byzantini: *Περὶ τῶν Ἀθήνησι ἑταιρίδων.*

V, 8, 27. *Quodv. donum* etc. Menander: *Εὖξαι τί βούλει· πάντα σοι γενήσεται.*

Heaut. I, 1, 110. Add. Casaubon. de Satir. Graecor. p. 122. Qui aliter quidem existimat, *Dionysia*, quae ἁπλῶς a Diogene vocarentur, ea esse, quae in urbe celebrarentur mense Elaphebolione. At nos non recedimus a sententia hac, *Dionysia* non dissentire a dramatis argumento.

III, 1, 1. Cum credimus, theatra superne non tecta fuisse; poterat facile suspici coelum; etsi Rosinus C. Catulum adfert spectantium consessum velorum umbraculis tegere coepisse: Antiqq. Rom. V, 4.

V, 2, 41. *suspic.* al. *suspection.* cf. And. III, 2, 21.

Adelph. I, 1, 22. — *adoptavi mihi.* Plenior *adoptionis* explicatio vid. ap. Heinecc. Syntagm. ed. Haubold. 1822.

I, 2, 33. *me obtund. de hac re saep.* Speciem formulae

habet. Plaut. Cist. 1, 1. fin. „aures graviter *obtundo* tuas."

Adelph. II, 1, 39. *vendund. censeo* etc. Frequentissima hujus actionis mentio, Heinecc. Synt. ed. Haubold. IV, 6, 30.

IV, 2, 39. *angiport.* Per *angiportus*, compendii causa, iri solebat. Quos quidem pervios non semper fuisse, Heineccius antiquitate annuente confirmat; cf. ed. Haubold. p. 384. „Haec *angiporta* rariora erant, postquam aucta urbe omnes areae aedificiis occupabantur." Heinecc.

IV, 2, 45. *fabric.* Ambigue. Heaut. III, 2, 34. Et Plaut. Poen. V, 2, 139. hanc *fabricam* (machinam, dolum) apparo," dicit servus.

IV, 3, 10. *Si ita aequum cens. Aequitas* dea vid. ap. Montefalcon. depicta, libram manu tenens in aequilibrio.

V, 2, 8. *comissat.* Quod derivationem attinet hujus vocis, ablegamus lectorem ad Casaubon. de Sat. Gr. p. 114. ibiq. not. Rambachii.

V, 3, 58. *Eo pacto prors. illic alligaris filium.* Sic in vet. Veneto. Miramur, Glareanum in hoc senario laborare.

V, 9, 28. *prolubium.* Sic ad rusticum hominem sordide.

Hecyr. I, 2, 4. *nullus dix. Nullus,* auctore Charisio, hic adverbium est, significans non.

I, 2, 43. *Senem sese* etc. Ex hoc versu Glareanus tollit alterum *esse*, alii *autem*, ne justo longior sit. Muretus retinet utrumque. Et sic constat senarius, qui efferatur per synaloephas.

III, 3, 26. *Quaequae,* non *Quaeque.* Supra I, 1, 8. not.

IV, 4, 88. *Amarae mulieres sunt.* Menandri est, „φύσει γυνὴ δυσήνιόν ἐστι καὶ πικρόν, Natura mulier amara atque effrenis est."

IV, 4, 97. *eho, curre.* Invertunt alii libb. *curre, eho. Eho,* adverbium adhortandi.

V, 4, 39. 40. *equid. pl. hod. b. Feci imprud.* Sententia Plautina ex Captivis, Prol. 44 — 45. ut saepe jam in multis locis, „Plus insciens quis fecit, quam sciens, boni."

Phorm. Prol. 17. *artem.* Terentium *arte* valere Horatius dicit, probatissimus judex, Epp. II, 1, 59. Quid autem haec ars? Non quidem metrica sola, sed

maxime scita argumenti compositio, qua Terentius Plautum praesertim vincere Horatio videtur.

Phorm. I, 1, 5. 6. *herilem filium* etc. Cf. Heinecc. Antiqq. Rom. Nec servos ab illo donandi onere immunes fuisse, ibi docemur.

I, 1, 15. *Ubi initiab.* De muneribus natalitiis, sive quae diebus lustricis mittebantur, vid. Festus, voce lustrici. Lustrici dies infantium adpellantur puellarum octavus, puerorum nonus, quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur. Haec autem lustratio nihil aliud esse videtur, quam quod Terentio dicatur verbo *initiare*.

II, 1. pagina infima 166. Videat ac faciat lector benevolus, ut verba verss. 51. 52. quae per errorem operarum huc aberraverant, cum pagina summa 168. continuet atque sic transposita conjungat.

II, 1, 2. *Nec meam imp.* etc. Cf. Cic. Epp. ad Attic. II, 19.

II, 1, 36. Bentl. *defendendum.* Al. *dicendam.*

II, 3, 72. *Actum, ajunt, ne agas.* Formula juridica Romanorum, qua remedia competerent condemnato. vid. Heinecc.

II, 4, 7. *censeo.* Comice. Sententiam in senatu singuli dicebant stantes, formula usi: „quod C. Pansa verba fecit de ea — re, ita *censeo.*“ Brisson. Itaque Hegio comice dicit *censeo,* qui nihil dixit sententiae.

III, 1, 20. *Palaestra* it. translatitie Longin. de Sublim. IV. *Ξενοφῶντα — κ. Πλάτωνα — ἐκ τῆς Σωκράτους ὄντες παλαίστρας.*

IV, 3, 26. *pecuniae.* Al. *pecunia,* ut Heaut. III, 1, 67.

IV, 3, 56. *animum.* Praestat *animam,* vulg.

IV, 4, 21. *sacrificandi.* Scilicet diis nuptialib., inprimis Jovi, Junoni etc. Suidas.

V, 6, 31. *mirificiss.* cf. L. Vall. 1, 10.

V, 9, 26. *Verba fiunt mortuo.* Bothe adfert proverb. Graecor. — *νεκρῷ λέγεις εἰς οὖς.* Id est, frustra laborabis. Simul tangitur veterum consuetudo, vita defunctos ter voce cientium.

Quae addenda et corrigenda erant in Editione Terentii etc. Lips. MDCCCXXI, haec sequuntur:

Ad pag. XXI. Notum est, nomen *Terentii* servi a Terentio domino esse acceptum. Nam et liberti, qui erat Noster, patronorum nomina adsumebant, qui tamen ideo non erant gentiles. Heinecc. Antiqq. Rom. ed. Haubold.

XXIII, post § 2. Rufinus grammaticus judicavit de toto Terentii comoediae genere. Nam concinna, ais, argumento, consuetudini congrua, utilis sententiit, grata salibus, apta metro etc. Et in fragmentt. Ciceron. „*Comoedia* est imitatio vitae, speculum consuetudinis, imago veritatis."

XXVI. § 7. Scripsit περὶ προσώπων Aristophanes Byzantinus, uti legimus ap. Athenaeum, lib. XIV. Et persona concavata gr. μορμολύκειον. Heusing. Fabb. Aesopi.

— — *Histrio.* L. Vallam exhibemus, de ling. lat. eleg. IV, 31. qui de histrione loquitur ita: „*Histrio* est, qui personatus in scena tragoedias agit comoediasque, voce et corporis gestu."

XXXI. § 8. Post verba: *Quinctilianus — nominavit*, addi velim: licet aegre tulit, Poetam inter trimetros non stetisse; v. Instit. or. X, 1.

Andr. II, 5, 5. Lit. *S.* praefigenda est ante *Utrumque.* Itidem

III, 1, 20. ante *Hiccine.*

V, 5, 7. praefig. *Ch.* ante *Quid illud.*

Eunuch. I, 2, 99. praefig. *Th.* ante *Ego non.*

IV, 3, 19. praefig. *Ph.* ante *nequeo mirari.*

IV, 6, 20. praefig. *Th.* ante *Atque ita.*

V, 4, 22. Quae verba incipiunt: *proripuit se* etc. explicandi causa contextui Terentianorum interjecta, haec transferenda sunt ad vers. 23. post nom. *Py.* ante signatum. Ut autem huc illa erraverint, ipse sua auctor incuria factum esse fatetur.

V, 5, 16. in notis lege: *praecocem aetatem.*

Heaut. IV, 1, 13. praefigendum *So.* ante *Meministin' me.*

IV, 1, 50. Legendum *Sostrata.*

IV, 5, 8. post *Optabit* commatis signum est ponendum, tollendum idem post *rursum.*

Heaut. V, 2, 46. *Etiam* pro *Etenim.*

Adelph. I, 2, 26. Ingerendum *id* post *unde.*

II, 2, 2. Transponenda sunt verba uncinis inclusa *(ad Sannionem conversus)* proxime post vocem *actum.*

III, 2, 25. Lege: *heu* pro *hem.*

Hecyr. II, 1, 25. Delendum est *ut.*

V, 2, 28. lege: *L. Quid est.*

Phorm. III, 3, 19. praefigend. *G.* pro A.

IV, 4, 25. lege *in aedes.*

Schneider's, Joh. Gottl., grosses kritisches griechisch-deutsches Wörterbuch, beim Lesen der griech. profanen Scribenten zu gebrauchen. 2 Bände. Dritte verb. u. verm. Aufl. gr. 4. 1819—21. Nebst Suppl. 8 Rthlr. 12 Ggr.

Kritische Grammatik der hebräischen Sprache, ausführlich bearbeitet vom Dr. G. H. Ewald (Repetent an der theol. Facultät zu Göttingen). gr. 8. 1827. (43 Bogen.) 2 Rthlr. 6 Ggr.

Döleke, Dr. W. H. (Rector zu Schleusingen), Kleine hebräische Grammatik. Mit Uebungsstücken zum Uebersetzen aus dem Hebräischen ins Deutsche und aus dem Deutschen ins Hebräische. gr. 8. 1822. 10 Ggr.

— — Deutsch-lateinische Schul-Grammatik. gr. 8. 1826. (23 Bogen.) 16 Gr.

Wiss, Dr. C. Ch. G. (Consistorialrath, Director und Professor des Gymnasiums zu Rinteln), Praxis der lateinischen Syntax in zusammenhängen deutschen Beispielen aus der alten Geschichte, nebst den nöthigen lateinischen Redensarten nach Ramshorn's grösserer Gramatik mit angehängter Hinweisung auf Bröder, Grotefend und Zumpt; in einem rhetorischen Cursus für die höheren Classen der Gymnasien Erster oder grammatischer Cursus. 1826. (12 Bogen.) gr. 8. Preis 10 Ggr.

— — Zweiter oder rhetorischer Cursus. 1826. (12½ Bogen.) gr. 8. 12 Ggr.

Nonius Marcellus de proprietate sermonis. Additus est Fulgentius Planciades de prisco sermone. Ex recensione et cum notis Josiae Mercerii. Ad editionem Parisiensem anni 1614, quam fidelissimi repraesentati. 8. 1825. 2 Rthlr. 16 Ggr.

Billerbeck, Dr. J., Handbuch der alten Geographie, für Schulen und zum Nachschlagen bei der Vorbereitung auf die klassischen Schriftsteller. gr. 8. (27½ Bogen.) 1826. 20 Ggr.

Atheniensische Briefe über die Geschichte, die Sitten, die Wissenschaften und Künste der alten Welt. Aus dem Engl. übersetzt und mit Anmerkungen versehen von F. J. 2 Thle. gr. 8. Mit 1 Karte und Kupfern.
Sonst 6 Rthlr. jetzt 3 Rthlr.

Mannert, C., Geographie der Griechen und Römer. Mit vielen Karten. gr. 8.

Von diesem wichtigen Werke sind die ersten 6 Theile noch zum herabgesetzten Preise zu 12 Rthlr. zu haben; der VIIte Theil kostet 2 Rthlr. 20 Ggr.; der VIIIte Theil 3 Rthlr. 12 Ggr.; IXten Bandes 1ste, 2te Abth. 5 Rthlr.; Xten Bandes 1ste, 2te Abth. 5 Rthlr. 16 Ggr. Das nun vollendete Ganze kostet demnach 29 Rthlr.